

Bibliothèque numérique

medic@

**Gennari, Francesco. De peculiari
structura cerebri nonnullisque ejus
morbis. Paucae aliae anatomi.
observat. accedunt.**

Parmae : Ex Regio Typographeo, 1782.
Cote : 47755 (1)



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)
Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/histmed/medica/cote?47755x01>

47755

FRANCISCI GENNARI
 PARMENSIS
 MEDICINAE DOCTORIS COLLEGIATI
 DE· PE CULIARI
 STRUCTURA CEREBRI
 NONNULLISQUE EJUS MORBIS .

PAUCAE ALIAE ANATOM. OBSERVAT.

A C C E D U N T .



47755

P A R M A E
 EX REGIO TYPOGRAPHEO
 M. DCC. LXXXII.
 CUM APPROBATIONE .

ПАМЯТКА ГИГИЕНИЧЕСКАЯ

ОБЩАЯ ГИГИЕНА

ПРИКЛАДНАЯ ГИГИЕНА

ДЕ ПРЕДУПРЕЖДЕНИЯ

STRUCTURA CEREBRI

nonnullisque ejus morbis.

ПАМЯТКА ГИГИЕНИЧЕСКАЯ

АППЕЛЬСА

1860

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ

ПЕЧАТЬ

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ

ПАМЯТКА

EX-ЛЕЧЕЮЩИЕ СОСТАВЫ

1860 ДОК. ФОРМЫ

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ

SUMMO VIRO COMITI
JOSEPHO CAMUTI
 AUGUSTORUM PARMENSIMUM
 PRINCIPUM AC R. PROLIS
 ARCHIATRO AC CONSILIARIO
 BELVEDERII DOMINO
 REI LITT. SEPTEMVIRO TOTIUS MEDIC. PRAESIDI
 CHEMIAE PROFESSORI PRIMARIO
 AC R. MONSPELLIENSIS ACAD. SOCIO
 ETC. ETC.

Ex quo olim Plato Cerebrum usque
 adeo extulit, ut ibi praecipuam Ani-
 mae sedem poneret (*a*); quam multa
 de eo postmodum a praestantissimis
 Philosophis, Medicis, atque Anato-
 micis certatim omni ferme tempore

(*a*) Idem sentiebat Alcmaeon.



II

tradita sint, non ignoras, VIR CLARISSIME, qui cum summa rei medicae peritia, tantam Philosophiae quoque, totiusque Anatomiae (a) scientiam conjungis. Ut autem „ infinitum illum Philosophorum, ac Medicorum exercitum (b) „ omittam, et de claris dumtaxat Anatomicis pauca (c) subjiciam; qui primi veterum Anatomicae Scientiae laude floruerunt, ii nobilissimam, atque utilissimam hanc prae caeteris Anatomiae partem coluere.

Nam praeter Hippocratem, atque Aristotelem, aliosque, quos ab antiquissimis usque temporibus (d) haud

(a) Jam enim publice Anatomen anno 1760 magno cum plausu in hoc celeb. Parmensi Lyceo professus es.

(b) Haller. *Bibliothec. anatomic.* tom. I. Praefat.

(c) De Medicis quoque scriptoribus sermo alibi occurret.

(d) In origine Anatomes Chinensis, quae omnium antiquissima est, agitur de cerebro Suis. Haller. *Bibliothec. anatomic.* tom. cit. pag. 2.

prorsus cerebri anatomen latuisse constat; Erasistratus, atque Herophilus, qui summa tunc temporis cunctarum gentium consentione in ea arte Principes (*a*) habebantur, quam sedulo in anatome cerebri potissimum adlaboraverint, quisquis de rebus hisce vel mediocriter instructus (*b*) non ignorat. Multo autem post (*c*) Galenus, iis, quae memorati Viri, ac praesertim Herophilus (*d*) observaverant non contentus, alia praeterea addidit tum ad cerebrum, tum ad nervos spectantia, quae vulgo etiam aliis Anatomis tribuuntur. Sed neque post Gale-

num, neque ante illum docti alii Ana-

(*a*) Erasistratum, atque Herophilum vivos etiam homines incidisse, opinio in vulgus edita est.

(*b*) In cerebro *torcular Herophili* sic dictum, notissimum est.

(*c*) Quingentos circiter annos. Vid. ill. Lieutaud *Hist. Anatom. Medic.* Parisiis 1767, in Proemio.

(*d*) Sexenta hominum corpora Herophilum secuisse referunt.

IV

tomici defuere, et in his praesertim Aretaeus, atque Rufus, in illis autem Oribasius, Meletius, et inter arabes Avicenna, aliqui, quos hic lubens praetereo, qui quidem omnes (quod etiam num magnopere dolendum est) in eo, quo per tot saecula Anatome habita est neglectu, proprii vix quidquam huc praeter sermonem attulerunt.

Ab Anatomis autem instauratore Vesalio ad haec usque tempora, quot porro summi Viri ubique gentium difficillimam hanc partem illustrare aggressi sunt? Et ille quidem fervido quo pollebat ingenio, a Galeno, quem ante eum omnes oraculi instar coluerant primum discedere ausus, non modo alia aliter, ac Galenus ipse senserat in humano quidem cerebro se habere observavit; sed alia in eo insuper eosque abdita animad-

vertit, eaque ut notum est iconibus etiam expressit. Tot porro hominum, quorum ob eam causam (a) adeo in se suscitaverat Vesalius in tota Europa odium » ut inter perpetuas calumnias vitam molestam triverit, et » Galeni opus suo labore emendatum » flammis dederit (b) » ; horum, inquam, hominum et nomina et scripta libentius etiam reticeo, siquidem omnes Galenum, minime vero natu-ram ipsam consuluere. Misso etiam Silvio (c) Piccolomineo, aliisque, qui Vesalium fere omnes dum refu-tant, exscribunt; alter Anatomiae pa-rens Eustachius, editis observationi-bus, quas ut Galenum ab eo Viro tueretur, tum in homine, tum in bru-

(a) Quod nempe a Galeno, ut dictum est, ausus esset discedere.

(b) Haller. in Boher. *Method. Stud. Medic.* tom. I. pag. 603.

(c) Jacobo scilicet Ambiano.

VI

tis singulari industria comparaverat, pluribus certe, iisque perutilibus humanum praesertim cerebrum inventis ditavit. Postea vero de eo fusius a Varolio (a), Cortesio, Veslingio, Bartholino (b), Silvio (c), ab aliisque praeclarissimis Viris dictum est, qui Spartam hanc verbis, atque iconibus illustrare curarunt.

Excelluit deinceps apud Anglos Willisius cunctis ante ea tempora cerebri, nervorumque anatomen professis, nec sua item laude, aut Gerardii Blasii *Medullae spinalis*, et *nervorum inde provenientium anatome*; aut Charletoni *De cerebri humani proprietatibus, dissertatio*;

(a) » Ob detectum Veterum errorem, et demon-
» strationem, cerebri ventriculos non spiritu, sed
» pituita plenos esse, multa a Galenistarum invidia
» passus est ». Haller. ibid. pag. 609.

(b) Loquor de Thoma omnigena fere scientiarum eruditione praedito.

(c) Francisco de le Boe.

aut anatomica *De cerebro Malpighii* opuscula caruerunt. Quinimmo ex uno isto Viro quidquid per eam aetatem de structura cerebri Anatomici, ac Medici docuerunt, ab eo (quod nemini praeterea adeo facile contingit) tamquam ex oraculo quodam, praeter unum, aut alterum (*a*) omnes hausere.

Verumtamen non eo demum per hosce Viros evecta fuerat Anatome, ut plura adhuc in cerebro delitescere, si quis paulo acrius attenderet, huic attingere non liceret. Itaque Nicolaus Stenonius (*b*) quum eorum, qui ante ea tempora de cerebro scripserant opera expendisset, inquit:...

(*a*) Hieronymus Sbaragli antea Malpighii collega, dein, ut saepe fit, acerrimus hostis fuit: scripsit enim contra Malpighium; sed » plenus est ratiunculis, et cavillis, neque ut credo nisi laudis » Collegae refutator ». Haller. ibid. pag. 629.

(*b*) Dissert. *De cerebri anatome*, anno 1668.

VIII

„ Ingenue fateor meam in Anatome
 „ cerebri inscitiam . . . Utinam ve-
 „ ro pars illa omnium delicatissima,
 „ morbisque ut frequentissimis , sic
 „ pernicioissimis obnoxia adeo nota
 „ esset, et explorata ut plures seu
 „ Philosophi, seu Anatomici repu-
 „ tant . . . Persuasum mihi est
 „ solidioris scientiae scrutatoribus ne-
 „ quaquam fore satisfactum per ea ,
 „ quae de cerebro hactenus edita
 „ sunt . . . Cum ad hoc perfectio-
 „ nis fastigium nondum assurrexerit
 „ Anatomia , ut veram et accuratam
 „ sibi vindicare queat cerebri disse-
 „ ctionem, nostram agnoscamus igno-
 „ rantiam necesse est . . . ” Et haec
 ille quidem eo tempore .

Magni deinde Viri , iique potis-
 simum, qui primi celeberrimam illam
 Scientiarum Academiam (*a*) ornarunt ,

(*a*) Parisinam .

Peraultius scilicet, Duverneyus, atque Merius utilem sane operam in collustrando hominis, atque animalium cerebro impenderunt. Edidit paulo post eximum, summoque anatomico dignum opus Wieussenius, quo, quum non pauca ad cerebrum, nervosque spectantia, perspecta quidem Veteribus, sed neglecta Nuperis reddidisset, plura autem sagaciter a seipso inventa proposuisset, eae in quibus Anatomici versabantur tenebrae ex parte discutiebantur. Sequuti sunt Samuel Collins, Harderus, Wepfer, Martinus Lyster, et ill. Rydlejus (a), ac inter caeteros, magnae famae viri Baglivius, atque Pachionus, qui emissionis, hypothesibus utut etiam plenis hac de re libris, iis praesertim tem-

(a) Praeclarum hunc doctissimae Nationis Anglicae Anatomicum inter caeteros commendavit Boherahave. Ibid. *De Anatome* pag. 412.

* *

x

poribus (*a*) inclaruere. Magna item laude hujus, quo vivimus, saeculi initio in anatome cerebri versati sunt Mistichellius, Lancisius, Ruischius (*b*), Petitus (*c*), atque Winslovius; et qui sub idem ferme tempus adeo microscopicis illis vitris omnium sermone percrebuit Leevvenoechius.

Verum, ut ad Italos nostros redeam, qui hac praesertim aetate Anthropologiae studio excelluerunt, Anatomicorum certe perpauci de eo aequae ac Morgagnius omni terrarum orbe celeberrimus meriti sunt. Sed admirabilis imprimis videtur J. D. Santorini felicitas (quod potissimum no-

(*a*) Saeculi superioris scriptores novum aliquod sistema condere maximo sibi honori ducebant. Haller. in Boher. *ibid.*

(*b*) Veram substantiae corticalis fabricam primus invenit.

(*c*) Franciscus Petit egregia plura ad Anatomen cerebri addidit.

vissimae ejusdem Tabulae ab illustr.
Praeceptore nostro GIRARDO (a) la-
bore summo, parique diligentia ex-
plicatae, atque auctae (b) palam fa-

(a) De ingenti copia cadaverum, quae humanis-
simo Praeceptor erat annis potissimum 1773 et
1774 quo primum tempore Anatomiae addiscendae
cupidus publicis, ac privatis ejus dissectionibus ade-
ram, aeternum tanto Viro gratus recordabor.

(b) Quanta Doctorum hominum voluntate hoc
opus exceptum fuerit, praeter ea, quae in *Littera-
torum Diariis*, atque in *Bibliotheca Anatomica* Halle-
ri saepe extant, satis superque comprobat Epistola
memorati Physiologorum Principis ad ill. Praecepto-
rem conscripta, quae sic se habet:

VIRO ILLUSTRI
MICHAELI GIRARDI
ANAT. PROF. PRIMARIO S.
HALLER.

Incredibile est, quantum sim refocillatus meis in
diuturnis miseriis dono enimvero praestantissimo,
quo me beasti. Etiam ideo magis me recreat, quod
inexpectatum advenit, cum nihil omnino de his
posthumis Santorini Tabulis innotuerat; quarum ni-
tor, et pulchritudo vel ob artificium sculptoris pre-
mium habet, ob Auctorem supra omne pretium est.
Sed etiam quae Tu addidisti, potissimum etiam de
testium initio, migratione, de vagina, et gubernac-

XII

ciunt) qui ea in abditissimis humani cerebri recessibus perlustrandis subtilitate, dexteritate, patientia est usus, ut (quod de Themistocle probe inquit Nepos) „ anteferatur huic nemo , pauci pares putentur ” .

Neque praetereundum hoc loco est plures doctrina , ingenioque praestantes Viros in Galliis deinceps, atque alibi extitisse, inter quos eminent Carolus Augustus a Bergen , ill. Lieutaud , Huber , Nicolaus le Cat , Aschius , ac Mekelius , editis omnes

culo , de mammarum ductibus , et quae passim adspersisti , summa cum utilitate , et voluptate legi . In Bibliotheca Anatomica , quae propediem absoluta erit , ad posteritatem Tui operis admirationis monumentum descendet . Quam Bibliothecam , cui destinasti mitti , locum , et tabernam fac presto ut sciam ; possum Bergomum mittere , possum Mediolanum ; ultra non possum . Caeterum languens mea valetudo nunc dudum me torquet , atque malorum , et potissimum typograficorum finem video .

Vale Tu vero , Vir ill. , et me quaeso ama .

Bernae d. 22 Feb. 1776.

Anatomicis hac de re scriptis longe clarissimi. Hisce denique (quampluribus aliis, quorum scripta omni ferme tempore , aut seorsim edita sunt , aut in variarum Academiarum commentariis , ac diariis , atque alibi extant , omissis (a)), addendi , inquam , sunt B. S. Albinus , atque Albertus ab Haller , Incisorum alter , alter Physiologorum , qui ante haec nostra tempora extiterint facile Princeps , quorum praeclarissimorum Hominum scripta nulla aetas unquam delebit .

(a) Hoc loco omittendus minime est liber a praestantissimis Viris , praesertim vero ab Ill. Praeceptore nostro GIRARDO (Vid. *Orationem de re Anatomica* , quae prodiit ex Regio hoc Typographeo Parmensi elapso anno 1781 pag. 35 (e)) justis inquam laudibus celebratus , qui ita inscribitur : *Encefalotomia nuova universale di Vincenzo Malacarne Saluzziese , Chirурgo Collegiato , e Professore di Chirurgia nella Città d'Aqui . Torino 1780.*

Auctorem solertissimum Augustae Taurinorum nuperrime conspicuam in Chirurgicis dignitatem esse consequutum haec dum scribebam accepi .

XIV

Tantorum ergo Virorum laboribus debemus, quae de cerebri anatome a remotissimis jamjam temporibus ad hanc usque aetatem innotuerunt. Etsi vero non pauca hodie de eo certo sciant Anatomici, quae Majorum, licet oculatissimorum solertiam fugerunt; adhuc tamen (adeo verum est quod inquit Vir quidam doctissimus (a)), adhuc, inquam, plura in cerebro latere, cum caeterorum ferme omnium (b), tum praesertim eorum, quos nuperrime laudavimus il-

(a) *Il tempo alza lentamente quel velo, che cuopre le verità, e ne lascia scappar fuori una, o due per ogni secolo.* Così si esprime il celebre signor Thomas nel suo Discorso di ricevimento nell'Accademia Francese.

(b) Apposite inquit gravissimus auctor Gaubius in *Instit. Patholog.* pag. 210.: » Abditissima est, in « qua mentis operationes perficiuntur officina, nec « vel probabili conjectura assequi datur organorum, « quibus instructa est numerum, vires agendi, mo- « dum, caetera.....».

lustrum Virorum (*a*) scripta luculentissime palam faciunt.

Quae quum ita se habere ab eo usque tempore, quo sane admodum adolescens Medicinae limina adii, intelligerem, cumque illud semper in animo haberem, ut difficillimam hanc prae caeteris H. C. partem, ubi sese occasio obtulit (*b*) scrutarer; factum est, ut pauca quaedam a nemine quod sciam hactenus (*c*) adnotata non ita postmodum in adversariis meis invenierim. Quae postquam gravissimo iudicio tuo, praestantissime CAMUTI, subjicere ausus sum; satis amplius visum non est causae, cur amicis ali-

(*a*) Albin. *Academ. annot.* lib. I. III., Haller *De cerebro passim*.

(*b*) Dum postremis hisce annis in R. hoc Parmensi Nosocomio Adstantis Medici munere functus sum, humana certe cadavera dissecanda non defuere.

(*c*) Ab Hallero magno illo Viro, omnia, quae de cerebro hactenus scripta sunt referente, minime certe tradita.

XVI

quot, eorumdem forte editionem postulantibus (*a*) diutius denegare pertenderem (*b*): non enim vereor, ut doctis Viris sint displicitura, quae a te,
VIR DOCTISSIME, pro tua nimia erga me indulgentia non improbantur. **TE** interim etiam, atque etiam obsecro,
VIR ILLISTR., ut Opusculum hocce qualecumque illud sit, auctoritate, quae in **TE** summa est, meque **TUIS** meritis fovere ne desinas



(*a*) Ad hanc lucubrationem publici juris faciendam excitabar potissimum ab ill. **PRAECEPTORE**, tum ab integerrimo Viro, ac praestantissimo Clinico **SERAPHINO DENTONIO** familiari R. Principis Archiatro, ac R. hujusce Nosocomii Medico Primario, a quo Medicæ Praxeos rudimenta summa cum utilitate, et voluptate excepit.

(*b*) Urgebar a nonnullis potissimum, quod harum observationum semina a familiari R. Principis Archiatro spectatissimo **MICHAELI CORTESIO**, cui plura ob id præsertim deboe, quod eo Promotore Philosophiae, et Medicinae Lauream anno 1776 in celeber. hoc Parmensi Lyceo assequutus sum, eo ipso tempore publice renunciata fuerint.

DE PECULIARI
STRUCTURA CEREBRI.

OBSERVATIONES IN CEREBRO CONGLACIATO.

§. I.

In humano cerebro, quod saepe sua in sede conglaciatum dissecui, haec se-dula inspectione assequutus sum. Sub dura matre tenuissima glaciei lamina conspiciebatur, quae ad basim cerebri, ad latera falcis, et qua cerebrum a cere-bello per tentoria divisum est, crasse-scere nonnihil videbatur. Eadem glacie extima, interiorque piae matris superfi-cies obducta erat, qua praesertim ista meninx intra cerebri anfractus insinuat sese: quae licet alibi paulo crassior sit, paulo tenuior alibi, in universum tamen in iis cerebri anfractibus, in quibus majo-res arteriosi ductus locati sunt, ibi major quoque glaciei copia occurrere solet (*a*).

(*a*) In binis apoplecticorum cerebris, quae novisime dissecui, ingens propemodum glaciei copia aderat.

a

§. II.

Denudatus vero cortex vel obiter inspectus non uniformis appareat, sed crebris saepe lineolis (*a*) eleganter notatum, ac velut striatum se praebet, quas si paulo attentius fueris contemplatus sic dispositas esse comperies, ut nonnullae transversim intestinula secent, aliae juxta eorum longitudinem decurrant, quae-dam parallelas geometrarum lineas imitari quadantenus videantur, aliaeque di-versa, nec adeo facile verbis prosequen-da directione ferantur.

§. III.

Nec in cerebro solum, sed in cere-bello quoque lineas, de quibus sermo est inquirentes, manifestissimas, elegan-tissimasque semper adesse comperimus. Cerebelli tamen lineae paulo tenuiores sunt, atque ab ea, quam in cerebro pro-posuimus directione aliquanto recedunt; saepius enim transversim intestinula se-cant, saepiusque aliae aliis parallelae procedunt.

(*a*) Tab. I. fig. I. *a a a a a .*

§. IV.

Dum memoratas hactenus sive cerebri, sive cerebelli lineas contemplarer, eadem piae matris glaciem imitari colore suo videbantur, dum autem scalpellici aciem in eas leviter infligerem, eae quominus ultra procederet non adeo facile patiebantur; ubi nullo negotio inter utramque conjecta ad intima corticis usque permeabat. Quod autem ante suspicatus fueram esse eas lineas initia lamellarum, quae intra cerebri substantiam producerentur, sic luculenter postmodum assequutus sum, ut totidem glaciatas in cortice (*a*) lamellas, sive strias perspexerim, quot in ejusdem superficie lineas adnotaverim. Ut vero linearum, ita nec lamellarum unus, idemque incedendi intra corticem modus est. Ex hisce enim aliae juxta longitudinem, aliae transversim, oblique vero aliae in intestinorum substantiam sese recondunt, sic tamen, ut quae sibi proximiores sunt aliae non infrequenter aliis

(*a*) Ibidem fig. II. et III. *AAA*, *aaaaaa*.

4

parallelae ferantur. Neque ad eamdem altitudinem omnes inseruntur: aliae enim ubi vix prima corticis strata subiere deficiunt, aliae vero intimius productae in medullam usque sese conjiciunt (*a*), aliaeque eo circiter corticis ipsius loco desinere visae sunt, quo ego *subalbidam*, suique generis substantiam a nemine quod sciam hactenus adnotatam videre solitus sum, de qua tamen quid obser-
vaverim infra dicendi locus (*b*) non deerit.

§. V.

Qua in cerebro, eadem in cerebello quoque ratione se habent, hujusce tamen lamellae tenuiores sunt (*c*) et quadantenus etiam rariores, quemque in ejusdem lineis incessum advertimus, eudem sequuntur.

(*a*) Daturne lamella, quae e corticis ambitu enata per medullarem substantiam ad ventriculos usque non interrupta feratur?

(*b*) Vid. §. XLVI.

(*c*) Ibidem fig. IV. *A A A, a a a a a.*

§. VI.

Non secus ac cortex, sic cerebri quoque medulla (*a*) suis sive striis, sive glaciatis laminis instructa est, quae et ab hucusque traditis non parum dissimiles sunt, et pro variis medullae partibus, varioque situ, variae inter se etiam occurunt. Ac primo quidem, si quod intestinulum secueris, medullamque ubi e corticali abscedere incipit, dispexeris, lineolas, lamellasque satis tenues, creberimasque advertes, quibus non eadem extensio contigisse prorsus videatur. Aliae enim exilissimae quum sint, intenta vix curiosius acie dignosci possunt; aliae vero, eaeque plurimae, pauclo crassiusculae, satis conspicuae, et in corticalem cerebri substantiam produci, et conglaciatis ejusdem laminis continuari sic manifesto deprehenduntur, ut nec infreenter, nec admodum difficulter divelli possint. Porro conglaciatae medullaris substantiae laminae confertissimae quidem, tenuissimaeque eo loci

(*a*) Ibidem fig. II. et III. *B B B, a a a a a.*

conspiciuntur; verum quo magis in medullam insinuant sese, eo etiam rarescunt, et crassiores fiunt, ac ubi lateralia ventriculorum (*a*) lacunar attigere rarissimae, crassissimaeque aliquando occurunt. Nec idem omnibus incedendi modus obtigit, novissimae enim minus incerta directione donantur.

§. VII.

Cerebelli quoque medulla suis gaudet striis (*b*) lamellisque tenuioribus quidem, sed quae a corticalibus illis aberrare minus videantur. Ubi vero medulla de intimis cerebelli partibus emersura colligi, cogique incipit paulo manifestiores, et quo manifestiores eo etiam rariores adparere deprehenduntur. In iis autem, quos cerebelli pedunculos appellant, in cerebri cruribus, ipsoque Varolii ponte, adeo perspicue, dilucideque adeo cerni queunt, ut iis quibus medul-

(*a*) Hasce laminas cum ventriculorum glacie continuari forte suspicari possit; at membranulam, qua ventriculi obvelantur interjectam esse, tenendum.

(*b*) Ibidem fig. IV. *B*, *a a a a*.

la componitur fibrarum fasciculis interjectae, alios non infreque ter ab aliis eleganter dividant, atque discernant. In anterioribus vero oblongatae medullae cruribus, in opticorum nervorum thalamis, inque striatis praesertim corporibus (*a*) conglaciatae laminae paulo quidem rariores, sed manifestiores etiam crassioresque existunt. Idipsum de Silviano ponte, de globulis, de cunctis demum cerebri partibus, quas necessariae brevitati indulgens praetereo lubens, deque medulla spinali merito dicendum volo, quum nullam in tot periculis universi quam late patet encephali particulam invenerim unquam, quae sive striis, sive conglaciatis laminis plane destitueretur.

Nec in humanis modo, sed in integrimis quoque brutorum recens mactatorum cerebris lamellas (*b*), de quibus

(*a*) Ibidem fig. III. **C**, *aa*.

(*b*) Lamellas hasce in bove, vitulo, ove, cane, subobscure etiam vidiisse memini in fele, et lepore, tum in cortice, tum in medulla.

sermo est inquirentes, eadem ferme ratione dispositas esse comperimus.

§. VIII.

Descriptas hucusque lamellas vario ab invicem pro variis encephali partibus intervallo distare (*a*) observavimus. Illud jamvero mollius, teneriusque, quod hujuscemodi intervalla occupat, neque vel in perfecte conglaciatis cerebris quandoque admodum obdurescit (*b*), eadem prorsus ratione, qua memoratae lamineae, distribuitur: quotquot nimirum congelatae lamellae intra cerebri substantiam occurrunt, totidem corticalia, ac medullaria strata ibi quoque inveniuntur. Strata corticis sedulo inspecta, non infreenter tenuioribus vasculis picta apparuere, quae circa ejusdem ambitum confertissima, quo medullae propiora fiorent, eo etiam decrescere, ac prorsus evanescere viderentur. Caeterum qui

(*a*) Vid. §§. IV., V., VI., VII.

(*b*) Cortex praesertim aegre admodum induratur attamen die 23 Februarii anni hujus 1782 bina humana cerebra incidi in lapideam pene dixerim naturam indurata.

prope medullam cerni minutissima corticis vascula possint, quae utut subtiter impleta, aegrae tamen etiam conspicillo, nec nisi clarissima luce conspici queunt (*a*)? Nunc quid de conglaciati quoque cerebri caveis observaverim proponere pergo.

§. IX.

Hae igitur caveae, quas veteri, receptoque vocabulo cerebri ventriculos appellant, in congelato cerebro non modica semper glaciei copia detinentur (*b*). Hanc vero modo in unum, solidumque corpus effictam, compactamque „ modo in parvula discretam frustilla reperies (*c*) quae adeo sibi ipsis proxima, atque contigua sunt, ut vitrei humoris oculi glacie concreti figuram quodammodo praeseferant (*d*) „. Haud

(*a*) Albin. *Academ. Annot.* lib. I. pag. 47.

(*b*) Vid. etiam Heisterus *Compend. anatom.* pag. 146.

(*c*) Vid. posthum. J. D. Santorini Tab. ab ill. Praeceptore explic. pag. 35. (*a*), et Tab. nostram I. fig. III. *C*.

(*d*) Saepe etiam lateralium ventriculorum glacies in parvula discreta frustilla ob impressiones ab la-

10

tamen in qualibet ventriculorum parte eamdem glacies crassitudinem habet: et in lateralibus quidem prope choroideo plexus in universum crassior, quo phar-nici proximior fit, sic sensim gracilescit, ut hactenus haeream aliquanto, num lateralium ventriculorum glacies altera cum altera vere, et immediate com-municet (a).

§. X.

Lateralium vero cum tertio commu-nicationem, quam et a nonnullis etiam magni nominis viris rejectam fuisse in-telligo, sic manifestam in quorumdam recens defunctorum cerebro (b), in eo-dem autem gelu constricto perpetuam adeo vidiisse recordor, ut nullus de ea dubitandi locus superesse videatur (c).

mellis ex medullari substantia (Vid. §. vi.) in ventriculos descendantibus factas, videbatur.

(a) Lateralium inter se communicationem aliqua ulteriori in cadaveribus disquisitione indigere inquit ill. Haller. *El. Physiol. C. H.* lib. x. *De cerebro et nervis.*

(b) Viderat, et jamdudum ostenderat ill. Praeceptor.

(c) Et cum ill. Praeceptore.

Nimirum lateralium ventriculorum glacies, quae vasa posteriorem, inferioremque eorumdem recessum subeuntia extra cerebrum usque comitatur, ubi choroidei plexus ex memoratis vasis enasci incipiunt, ita eosdem circumcirca involvit, et amplectitur, ut prae reliqua ventriculorum glacie augeatur; inde cum plexibus antrorum fertur, totumque, quod illi procurrunt iter emetitur, donec ad ea sive foramina, sive rimas deveniat per quas choroidei plexus ex lateralibus in tertium ventriculum descendunt. Licet autem eo loci attenuetur adeo, ut evanescere ferme videatur; attamen trajecta rima, glaciei totam tertii ventriculi caveam occupanti quadanterioris continua, sese expandit denuo, denuoque increscit.

§. XI.

Tertii vero hujusce ventriculi glacies ad posteriora pergens mox mox meatum infra Silvii pontem locatum subitura, in crassiusculum, teresque corpus, aut in gracilem potius cylindrulum cogitur, qui

I 2

statim atque de eo, quod ingressus erat foramine evaserit, ac intra quarti ventriculi caveam penetraverit rursus late-scendo ejusdem extensionem quanta est undeliberet emetitur. Atque hoc quidem tam patulum tertii in quartum cerebri ventriculum iter, quod dudum etiam veteres quidam novere (*a*), nemo quantum quidem ego scio, praeter unum aut alterum in dubium revocavit.

§. XII.

De altero vero tertii ventriculi meatu, qui per infundibulum intra pituitariam glandulam sese dimittat, de quo plurimum quidem inter Anatomicos disputatum fuisse intelligo; quum aliis solidum, aliis omnino pervium illud esse placuerit ambigi fortasse hactenus possit: attamen neque ill. Praeceptor, qua in dissecando dexteritate pollet, editis (*b*),

(*a*) Aquaeductus sic dictus Silvii dudum Galeno, atque Oribasio, dein Berengario, aliisque innotuit.

(*b*) In *Explic. Tab. Santor.* habet sequentia pag. 35. (*a*): . . . » Diligentissime inde, ac quantum » fieri potuit num et infundibulum eadem glacie

ineditisque pluribus in conglaciato cerebro observationibus, neque ego infundibulum inferiori sui parte, qua pituitariam nempe glandulam contingit, per vium unquam invenimus, utut nuperus clar. quidam Scriptor sese illud patulum semper invenisse protulerit (a).

» teneretur, aut saltem frustillum aliquod esset,
 » quod e ventriculi cavitate per infundibulum in
 » pituitariam glandulam descenderet, perlustravi-
 » mus: verum nihil hujuscemodi, neque nobis, ne-
 » que auditoribus nostris curiose inspectantibus....
 » videre datum fuit: immo infundibulum perinde
 » ac in caeteris observationibus inferiore sui parte
 » solidum esse se praebuit. Eadem ratione paucis
 » interjectis diebus intenta curiosius acie, majori-
 » que habita diligentia experimentum iteravimus.....
 » Id unum peculiariter adnotandum occurrit, nempe
 » inter glaciei frustilla, columnula angularis calami
 » scriptorii crassitie, quae fere recta contra infun-
 » dibulum descendebat. Hanc diligentissime a sum-
 » mo ad imum persecuti, vix infundibuli orificium
 » ingressam in obtusum penitus apicem defficere ma-
 » nifeste intuiti sumus. Hinc infundibulum, ipsam-
 » que glandulam diligentissime perlustravimus, at
 » incassum omnia, quum nihil praeter ea, quae antea
 » animadvertisimus, nobis videre datum fuerit ».

(a) Quae autem de infundibulo, ac pituitaria glandula in sano, morbosoque cerebro observaverim, in aliud fortasse tempus rejicientur.

§. XIII.

Postquam de manifestioribus hisce cerebri caveis, quantum quidem licuit, disseruimus, nonnulla de septi quoque lucidi cavea postremo adjicere praestat. In congelato itaque cerebro septi lucidi caveam non secus ac ventriculos sua semper glacie repleri comperimus, cuius tamen descriptionem quum scite, eleganterque doctissimus Praeceptor ut assolet proposuerit (*a*), omittere plane consultum duco. Et caetera quoque pericula, quibus, contra ac nonnulli praestantes Anatomici doceant, memorati septi lucidi caveam semper inveniri persuadeor libentius etiam reticeo, eam siquidem Anatomicorum principes admiserint Winslous, Morgagnius, Hallerus, ill. Praeceptor, et ipse demum diligentissimus Santorinus, qui ita praefatus est (*b*):

(*a*) Ibid. sic loquitur: » Dum ex hisce in territium cerebri ventriculum descendebamus, disseccando septo lucido, inter ejus caveam glaciei laminam crassiorem in medio, et in acie undequaque extenuatam observavimus ».

(*b*) Ibid. pag. 49.

„ Rimam adesse comperimus, et quasi
 „ circumvallatam undique foveam, cu-
 „ jus nullum emissarium est; at in ter-
 „ tium ventriculum, quemadmodum
 „ Vieussenio placuerat, nisi subter di-
 „ ducta, ac discesso phornice elabi im-
 „ possibile est. Hujusmodi rima (pro-
 „ sequitur ill. Commentator) intuenti
 „ facile occurret, si acuta phorcipe se-
 „ ptum orizontaliter scindatur, ac po-
 „ tissimum si in conglaciato cerebro ob-
 „ servationes instituantur. Nobis enim
 „ quoties cerebra, quae per se optime
 „ constituta essent dissecandi occasio se-
 „ obtulit, toties inter duas septi lucidi
 „ lamellas cavum observandum, aliisque
 „ ostendendum adeo facile se praestitit,
 „ ut qua de causa a praeclarissimis vi-
 „ ris non semper illud cavum inveniri
 „ traditum sit assequi non posse fatea-
 „ mur „. Caeterum nullumne huic, quum
 sua cuilibet cerebri caveae emissaria na-
 tura concesserit?

*SERUM UNIVERSAS ENCEPHALI PARTICULAS
ALLUERE CONJICITUR.*

§. XIV.

Si cerebrum gelu detentum tepenti aëri exponatur, exterius primum, mox vero intimius quoque sic sensim mollescere incipit, ut brevi pristinam teneritudinem plane recuperet. Quod autem in eodem glaciei forma sese antea ostendere diximus, illud omne liquescit, in que tenuem, diaphanum, subalbidumque laticem abit, qui cum seroso, sive lymphatico succo numeris omnibus comparandus videtur. Valde autem probabile est, humorem, tum qui sub cerebri meningibus spectatur, tum qui intimam ejusdem substantiam alluit, illum quidem ab arteriolis, quae duram, ac piam matrem pervadunt, hunc vero ab iis, quae intra corticalem, ac medullarem etiam substantiam occurrunt exhalare (a). Neque diversa admodum sca-

(a) J. D. Santorin. lib. citat. pag. 47 glandulas, quas Pachiono tribuunt, aliquam humoris vim fundere conjiciendo proponit.

turigo esse potest illius, qui cerebri ventriculos oblinuit, ii siquidem pia quoque matre obducuntur.

§. X V.

Serum autem non infrequenter in demortuorum cerebris inveniri, Vesalio, Bartholino, Willisio, Malpighio, Wepfero, Hardero, Lancia, Boherahavio, Morgagnio, Kauvio, Haenio, Santorino, compluribusque aliis, quos ex parte recenset Hallerus, Galeno denique ab antiquissimis usque temporibus innuit. Hoc tamen quum neque constans esse, neque perpetuum, variaque admodum in aliis, aliisque copia, diversaque nonnunquam etiam natura, et indole se praebere observaverint, in eam plerique adducti sunt sententiam, ut illud aut visceris ipsius labe profectum, aut non nisi demum post mortem in eo subortum esse crediderint. Ego vero licet humorem post mortem augeri posse, augeri quandoque ejusdem cerebri vitio plurimum, ultro concedam, clarissimis tamen Physiologiae Scriptoribus, qui nul-

c

18

lam serosi laticis vim ne in cerebri quidem ventriculis naturaliter inveniri nunc perhibent, assentiri non ita facile possum. Nam sive hominis, sive etiam integrerrimum brutorum recens mactatorum conglaciatum cerebrum secem, non modica hujusmodi concreti seri copia non in ventriculis, aut sub meningibus modo, verum et intra visceris ipsius substantiam in intervalla, sive spatiola totidem, quae *rimas* ego cerebri nuncupare jam soleo lamellarum, ut dixi forma (a) sic mihi semper occurrit, ut de humoris hujuscce aliqua in viventi, sanoque cerebro existentia vix amplius haerendum putem (b).

§. XVI.

Neque hic serum illud intelligo, quod olim intra cerebri substantiam excoxitavit Malpighius dum haec conscri-

(a) Vid. §. vii.

(b) Neque totum extremis vitae conatibus humor rem quis tribuat, quum nec ab iis animalibus glaci ei lamellae prorsus defuerint, in quibus cum discessio repente capite, vita quoque illico auferebatur.

beret (a): „ Ab arteriis autem (ejusdem verba) sanguineum serum, vel quid si-
 „ mile delatum hac corticis carne velu-
 „ ti filtro separari, simulque in implan-
 „ tatas fibras, veluti in radices propagari
 „ non est absonum rationi, cum, inter-
 „ rupto naturae ordine ex morbosa ali-
 „ qua constitutione aberrantem copiosam
 „ seri hujus collectionem in ventriculis,
 „ cerebri substantia, et sub ipsis etiam
 „ meningibus saepissime observemus. „

Multoque minus intelligo famigera-
 tissimum illud Boherahavi: „ Corticem
 „ fieri lamellis vasorum arteriosorum in-
 „ numerabilibus, quorum crassissima ex-
 „ terius ponantur, deinde subtilliora ul-
 „ tima; post mille forte laminarum suc-
 „ cessivarum imminutionem ex ultimo
 „ strato medullam proficisci, et primum
 „ corticem, et proximum piae matri
 „ rubris vasis constare, ex eo provenire
 „ corticem, cuius vascula eos liquores
 „ solos recipiant, qui rubris tenuiores

(a) *De cerebro* tom. II. pag. 117.

20

„ sunt; ubi is tenuior cortex desinat,
 „ ibi incipere medullam, et non videri
 „ improbabile esse in cortice successivas
 „ laminas, et sacculos concentricos, in
 „ quibus serum sanguinis fotum calore
 „ piae matris attenuetur in liquidum
 „ nerveum ad albuminis similitudinem,.
 Quas quidem clar. hominum sententias
 ab ea, quam paulo infra exponam de
 seroso, sive lymphatico humore intra
 eas *rimas* (*a*) contento quammaxime di-
 screpare ostendam. Sed prius quid mihi
 de nonnullis rebus, de quibus aliter ab
 aliis scriptum est, videantur, proponam.

DE TUNICAE ARACHNOIDEAE USU.

. §. XVII.

Esse in cerebro et in medulla spina-
 li tenuem, diaphanam, satis tamen fir-
 mulam membranam a Varolio primum
 inventam, indeque anno jam 1666 ab
 Amstelodamensi Blasii, Svamerdamii,
 aliorumque Societate (*b*) Arachnoideae

(*a*) Vid. §. xv.

(*b*) Haller *De cerebro* pag. 12.

nomine distinctam, Anatomici dum haec conscribo praeter unum, aut alterum omnes consentiunt. Utrum autem haec tunica pro peculiari cerebri et medullae spinalis involucro haberi debeat necne, id vero inter eos minime convenit. Sunt namque ex principibus Anatomicis, uti Wieuessenius, Rydlejus, Couperus, Winslowius, Lieutaudius, aliquique, qui arachnoidem pro exteriori tantum piae matris lamina (*a*) habendam esse sen-

(*a*) Prae caeteris Winslowius *Exposit. anatom.* tom. II. pag. 230. (versionem affero, authographo enim careo) sic loquitur: » Duae piae matris laminae non ita arcte, uti duae istae durae matris invicem uniuntur. Non nisi mediante textu celluloso sibi invicem adhaerent, quod totam ipsarum extensionem, quibusdam locis exceptis, ut basi cerebri, comitatur; ubi interna lamina intersertiones suas continuat, dum externa lamina super partes prominentes aequaliter tensa, et ab interna lamina in intervallis harum partium prominentium absque textu celluloso inter duas laminas plane separata manet. Peculiares hae laminae internae ita dimotae portiones, ut tota lamina externa in genere tamquam tertium involucrum a pia matre distinctum consideraretur, atque ob ipsius cum telae araneae similitudinem *arachnoides* vocaretur occasionem subministraverunt ».

tiunt. Contra vero alii doctissimi homines, et in his Bidlous, Bohnius, Hallerus (a), J. D. Santorinus (b), ejusque Commentator ill. (c) arachnoidem a pia

(a) Haec habet Anatomic. ac Physiolog. Princps Hallerus *De cerebro* pag. 12.: » Neque pro piae membranae lamina exteriori haberi potest, quae sulcos non subeat saepe digitum altos, et multo in medulla spinali longius descendat: neque ab arachnoide id nascitur velamentum, quod ventriculos cerebri investit, id enim et vasculosum est, et medullae proximum adhaeret, cum eam inter, et membranam nostram pia mater interponatur. Rectius a Bidloo, et a Bohnio pro peculiari membrana proponitur ».

(b) Lib. citat. pag. 47.: » Hujusce laminae disquisitionem instituenti (Santorini verba) non oblata casu cadavera dissecare opus est, sed ea potissimum diligere, quae capitis morbo sublata sunt, in quibus saepe occurrit animadvertere humorem supra cerebri lobos; quo aperte fit, ut duplex comperiatur membrana, quarum summa explicata est, et humorem continet, interior in sulcos demittitur, et anfractus cerebri aemulatur, quo constat evidentissime, non unant eamdemque esse naturam ».

(c) Prosequitur ibid. ill. Praeceptor: Contigit mihi ut pluries alias, ita potissimum die 17 Febr. ann. 1773, ut.... arachnoidem a pia ita sejunctam observarem, ut cerebro e sua sede caute remoto... veli instar protensa, satis crassa, penitusque e cere-

matre prorsus sejunctam esse tunicam contendunt. Cum postremis hisce me quoque facere repetitae saepius juxta Santorini, ejusque Commentatoris clar. monita, observationes compellunt.

§. XVIII.

Quid vero, inquit clar. Heisterus (a),
 „ tam tenuis membrana, in qua nulla
 „ vasa conspiciuntur, cerebro et medul-
 „ lae spinali prodesse possit, haud adeo
 „ patet „ . „ Attamen (monente clar.
 „ Santorino) cum pia mater intra cere-
 „ bri anfractus alte se demittat haec
 „ super eam sic protenditur, ut et sub-
 „ euntia vasa firmet, et frequentissi-

„ bro sejuncta usque ad radices loborum cerebri ante-
 „ riorum pertingeret.... Idem postea alias occurrit mi-
 „ hi.... Idem quoque observavimus, et ostendimus
 „ alias apertissime ac potissimum ad posteriora ca-
 „ pitis, ad finem medullae oblongatae, et spinalis ini-
 „ tium, atque progressum ubi semper ea membrana ele-
 „ gantior occurrit. Quibus rite perpensis, nemo inde
 „ fortasse mihi crimini vertat si clar. viro Lieutaudio
 „ haud ita facile assentiri possim, quum inter errores
 „ illorum observationes reponat, qui arachnoidem a
 „ pia matre esse sejunctam membranam affirmant ».

(a) *Compend. anatom.* pag. 143.

24

„ mos eorum flexum sulcos colligat,
„ et ne quid illuc intro forte descendat,
„ quod cerebrum laedere possit, omnino
„ prohibet „. Qum tamen ibi etiam
firmior haec tunica inveniri soleat, ubi
nec hujusmodi sulci sunt, quos inter se
colligat, ut in basi cerebri et in medul-
la spinali, neque piam matrem subeun-
tia vasa, a quibus non modico interval-
lo saepe distat, admodum firmare queat,
aliud insuper, idque nobilis esse mu-
nus, cui tertium hoc cerebri involucrum
dicatum sit, suspicio facile incidit. Haec
mea igitur opinio est. Humor qui exti-
mam piae matris faciem alluit, qua prae-
sertim ista meninx intra cerebri anfra-
ctus insinuat sese, assiduo vasorum inter
eiusdem plicas locatorum motu, crebra-
que subjecti cerebri dilatatione jugiter
ad exteriora propellitur. Ne is igitur e
cerebri sulcis elabatur, sed intra illos ad
ea, quibus dicatus est munera servetur,
neve in peculiari parte, prout scilicet
fert locorum declivitas, praesertim vero
in basi cranii collectus noxas inferat,

per arachnoideam tunicam caustum est.
Caeterum quamquam de hujusce tunicae
usu altum hisce etiam temporibus apud
Anatomicos et Physiologos silentium sit,
de ea tamen, plusquam fortasse aliqui
censeant quaerendum puto.

*VARIA DE VENTRICULIS CEREBRI
CL. VIRORUM SENTENTIAE.*

§. XIX.

Quum pleraque eorum, quae a veteribus, ac recentioribus de ventriculis cerebri scripta sunt perlegerem, imprimis de iis Willism disserentem inveni. Is igitur in eo libro, qui *Cerebri anatome* inscribitur de ventriculorum usu verba faciens, inquit (*a*): „ Antiqui caver „ nam hanc adeo magni fecerunt, ut „ illic statuerint spirituum animalium „ officinam, ubi et procrearentur ipsi, „ et praecipua functionis animalis opera „ moliantur. E contra autem recentio „ res haec loca ita vilipenderunt, ut „ eadem materiae excrementitiae hac fo

(*a*) Pag. 139.

26

„ ras amandandae moeras cloacas esse
„ asseruerint. Profecto ista veterum opi-
„ nio facile concidit, eo quod spiritus
„ animales utpote valde subtile, et avo-
„ lare apti non tam spatia ampla et
„ aperta, quam meatus et porulos an-
„ gustiores, quales in cerebri substantia
„ exarantur, requirunt..... Porro si quis
„ cerebri substantiam exacte consideret,
„ et serio perpendat, quod hi ventriculi
„ non ex primaria naturae intentione
„ efformentur, at secundario tantum, et
„ accidentaliter de cerebri complicatione
„ resultant, longe aberit, ut suprema
„ animae sedes hic figatur, ubi nobilis-
„ simo spirituum satellitio stipata fun-
„ ctiones suas exequi, aut obire possit.
„ Quapropter Anatomici fere omnes, qui
„ citerioris saeculi fuerunt, illud vilius
„ cloacae officium interiori huic cerebri
„ camerae delegarunt. Cui opinioni fides
„ astruitur nonnihil ex eo, quod hi
„ ventriculi in defunctis saepe aqua re-
„ pleti conspiciantur; etiam ab illis tum
„ versus infundibulum, tum in os cribri-

„ forme excretionum viae patescere vi-
„ deantur „.

§. XX.

Uti autem majorum illa de spiri-
tuum animalium intra cerebri ventricu-
los, ita et haec Willisii, aliorumque
opinio de excrementitii humoris intra
eos collectione evanuit, postquam cele-
bratas adeo tum versus infundibulum,
tum vel maxime cribiformis ossis vias
in recenti quidem crano clausas esse ab
Anatomicis ostensum est. „ Cum ergo
„ clar. viri, inquit Hallerus (a), (impri-
„ mis autem Wartonus, Rydlejus, ac
„ Boherahavius) viderent in eos plexum
„ choroideum aliquem fere subire, ex eo
„ vero plexu arteriolas in medullam un-
„ dique se penetrare, ad utilitatem se
„ converterunt, quae a calore cum majo-
„ ribus arteriis advecto speratur, et a va-
„ sculis cominus in medullam defixis „.

§. XXI.

Hanc vero non esse primariam ven-
tricolum utilitatem sensit Hallerus ipse,

(a) Ibid. §. xxviii. pag. 269.

28

subdit enim: „ Cum tamen etiam abs-
 „ que hujusmodi plexu ventriculi den-
 „ tur tertii exemplo, et cavi, quod est
 „ in thalamis opticis avium omnino
 „ ventriculi simile, etiam aliud officium
 „ appetet, cui destinati sint (a) „ .

Dixerat autem superius, quum de
 ventriculis lateralibus ageret (b): In ho-
 „ mine cerebri massa non solida est,
 „ neque sibi a cranii lacunari superiori
 „ ad cranii basim continua, sed supe-
 „ riorem inter medullam, et inferiorem
 „ cerebri imaginabilis est intercapedo

(a) » Necessaria colliculorum quorumdam figu-
 » ra, et distinctio mihi videtur praecipua ejus in-
 » tercapedinis causa esse. Ita certe opticus thala-
 » mus dexter cum sinistro mechanica fere necessi-
 » tate ventriculum tertium efficit. Cum enim na-
 » tura duos esse vellet thalamos distinctos, et ro-
 » tundos, hujusmodi imaginable intervallum ex ne-
 » cessitate aliqua natum est ».

» Iterum cum vellet natura Varolii pontem a
 » cerebello distinctum esse, proprioque de sulco
 » suos nervos educere, separavit eum a cerebello
 » interjecto ventriculo quarto ».

(b) Ibid. pag. 27.

„ non ea vere cava (a) dum animal
„ vivit, et sanum est „.

„ Quando aqua (prosequitur Auctor
„ ill.) frequens enim vitium est ventri-
„ culos replet, tunc utique paries supe-
„ rior ab inferiori intervallo dissidet „.

Alibi vero (b) ventriculos tertium,
et quartum imaginabiles cavitates appel-
lat: hisce autem verbis quid hac de re
sentiat magis, magisque explicat (c)
„ satis enim novimus vera cava nulla
„ eo loco reperiri „.

§. XXII.

Et haec quidem Halleri de ventri-
culorum cerebri efformatione, et quae
de eorumdem utilitate conjicioendo pro-
ponit, quisquis opinor pro veri studio
tanto viro digna recognoscet. Ast nul-
lam prorsus aquam in cerebri ventricu-
lis dum vivit et sanum est animal in-
veniri; ventriculorum, sulcorumque cere-
bri spatium nullum prorsus esse, quis

(a) Vid. Haller pag. cit. (k).

(b) Ibid. pag. 37.

(c) Ibid. pag. 269.

30

credat, qui conglaciata hominis (*a*) ac
brutorum (*b*) cerebra inciderit? Locus
hic quoque esset proponendi quid de eo
spatio, quod membranae spinalem me-
dullam obvolventes relinquunt observa-
verim, praesertim quum haereat illust.
Vir (*c*): „An turgidior medulla dum
„homo spirat, post mortem in minus
„spatium se colligat, an vero vapore ea
„intercapedo unice occupetur „? Sed de
hisce nonnulla fortasse properam, siquan-
do alia de cerebro, ejusque morbis in
lucem hominem sim datus. Interea ad
celeberrimam controversiam descendō.

*DE SUBSTANTIA CORTICIS,
QUAE IN ALBINIANIS INJECTIONIBUS
NON IMPLETUR.*

§. XXIII.

De corticalis cerebri substantiae fa-
brica diversa inter se admodum ab An-
atomicorum Principibus tradita sunt. Et

(*a*) Praesertim cum glaciei superius descriptae
erassitudo varia pro locorum varietate observetur.

(*b*) Vid. §. xv.

(*c*) Haller ibid. pag. 60.

celebris quidem glandularum indagator Malpighius (veteres enim de rebus hisce vix quidquam noverunt), celebris, inquam, Malpighius, ut in anatomen saepe alibi, sic et in cerebri corticem glandulas primus invexit. Ea vero postmodum a Bidloo, Wieuissenio, Lystero, Rydlejo, Boherahavio, ab aliisque praeclarissimis anteacti saeculi Viris adeo recepta est „ ut eas, de quibus ille co- „ gitaverat glandulas nonnulli manife- „ stas depingerent (a) „. Sed ad exi- tum vergente saeculo, hujusmodi sen- tentia coepit labefactari primum, inde vero unius praesertim hominis auctorita- te penitus eversa est. Nempe quum Fri- dericus Ruyschius Malpighianam cerebri structuram admirabili qua solebat sedu- litate perquireret, nec in eodem quid- quam praeter vascula reperiret, rejecta Malpighii sententia corticem ex solis de- nique vasculis fieri pronunciavit. Sed et Ruyschius ipse nactus est censorem Albi- num, qui inter artificiosae repletionis

(a) Haller ibid. pag. 17.

32

magistros felicissimus, sic in Ruyschii fabricam praefatus est (a). „ Sed quam-
 „ vis praeter infinitam illam vim arte-
 „ riarum etiam venae in eo inveniantur
 „ totum tamen (scilicet corticem) ex iis
 „ constare, aut generatim ex vasculis,
 „ qua appellatione Ruyschius uti solet,
 „ id quidem non ita manifestum. Ete-
 „ nim quantumcumque impleta sint, est
 „ tamen aliquid inter ea, quod non im-
 „ pletum, immo vero est multum „. Al-
 bini sententiam recepit, et confirmavit
 Hallerus (b), quem singuli, quotquot
 ego quidem noverim postea sequuti (c)
 sunt.

§. X X I V.

Binis igitur substantiis componitur cerebri cortex, altera nempe vasculari, altera quae per injectiones, licet eae felicissime cesserint numquam impletur. Sed quænam hujusce demum natura est?

(a) *Academ. Annot.* lib. 1. pag. 51. et seq.

(b) *Ibid.* pag. 20.

(c) In hisce nominandi sunt clar. L. M. A. Caldanius in *Instit. Physiol.; Patavii 1773.*, et clar. G. Azzoguidi in *Instit. Medic.; Bononiae 1775.*

Quae compositio? an ex vasculis haec quoque constat, quae impleri nequivent? videamus quid de ea sentiat gravissimus auctor Albinus (*a*): „ Quam „ quam (ipsius verba) quoniam imple „ tio vascula tam multa ostendit ubi „ nulla antea apparebant , id , quod „ praeter ea est e vasculis non minus „ constare , quae impleri nequivent „ possimus fortasse suspicari. Ut tamen „ libere dicam huic incipio argumenta „ tioni diffidere. Sane quidem contem „ planti, considerantique , id , quod im „ pleri non potuit persuadere habitu suo „ nequit non esse diversum quid a va „ sculis, quae inhererent „ . An latent in ea Malpighii glandulae? subtilissi „ mis mehercle, argumentis eas refutavit Hallerus (*b*). An denique pro nova, suique generis substantia habenda est? consentiunt clar. Viri , sed quodnam sit ejus ingenium, nemo quod ego sciam hactenus ivit ostēsum. Arduum sane

(*a*) Ibidem.

(*b*) Ibid. pag. 18.

34

fuerit rem tantis Viris abditam reserare;
ego vero quid mihi de ea videatur can-
dide aperiam, judicium aliorum faciam.

§. XXV.

Cerebri substantia in creberrimas il-
las *rimas* ubique fere secedit, quae se-
roso ut diximus, sive lymphatico humo-
re (*a*) replentur. Docentibus ad unum
omnibus Chimicis, ac Physiologis serosi
liquidi ad concrescendum proclivitas tan-
ta est, ut vel modico caloris gradu de-
tentum cito albuminis ovorum instar co-
gatur. Quam autem serum habet igni
expositum ad concrescendum tendentiam,
hanc ipsam adhuc intra corpus loca-
tum (*b*) quandoque ostendat necesse est.
Igitur (ut ad propositum me referam
tandem) quum serosus iste humor in-
tra corticalis cerebri substantiae *rimas*
contentus injecti liquidi calorem expe-
tus fuerit, anne is tum se denique con-

(*a*) Vid. §§. xiv., xv.

(*b*) An serum hunc minus facile coiturum est di-
cendum, quia tenuiorum avolatio hic (intra cra-
nium) minus libera?

spiciendum gelatinosae, sive mucosae substantiae (*a*) cujusdam instar praebuerit (*b*)? Id ipsum igne coactum peritissimos etiam viros Malpighium, atque Wieussenium pro glandulis habuisse non admodum inverisimile est, siquidem Malpighius cerebrum in oleo coctum in rotunda tubercula coagulari, et atramentum super corticem cerebri effusum in rimas quasdam media inter tubercula sparsas se recipere observavit. Nec quidquam praeter serosi laticis colluviem vidisse etiam suspicor Leewenoëchium (*c*) quum corticem in avibus praeter vascula vitreo quodam, et pingue-

(*a*) Quum serosus iste humor viscidulus natura sit, forsitan etiam absque ignis actione clar. Viris imposuisse suspicari possit.

(*b*) Albin. *Academ. Annot.* lib. iv. haec iterum habet: » In omni viscere, et in omni particula C. H. » post repleta vasa quam felicissime, sola elotio » ne secedit muci, et furfuris specie longe major » pars substantiae, in qua ars implendi, et micro- » scopia nihil ostendunt vasculosi ». Sed in omnibus hisce partibus cellulosa tela lymphatico rore madens invenitur.

(*c*) *Anatomic. contemplat.* pag. 30., 36. et seq.

36

dinis simili humore constare scripsit , quem tamen systemati indulgens ex minimis vasculis fieri existimavit . Simplex hujusmodi fabrica fortasse etiam iterum imposuit Wieussenio , ut corticem in posteriore opere non glandulosum amplius , sed spongiosum faceret : multumque ego fallor , nisi ab una , eademque substantia diverso modo spectata tot praestantissimorum hominum sententiae profectae sunt . „ Tenerimam „ vero cellulosam telam ex parte etiam „ efficere id , quod non impletur , et in „ suspendo cortice perit „ quae conjectura est magni Halleri , negare non ausim , et si quis hasce *rimas* pro totidem etiam cellulis viscidulo humore referatis (a) habere voluerit , huic ego magnopere non adversabor .

(a) Forte ab eo , qui musculorum fibras oblinxit non valde dissimilis est iste humor , in conglaciato enim musculo striarum pariter , et lamellarum forma appetet .

*DE MEDULLARIS SUBSTANTIAE FABRICA.***§. XXVI.**

Non minus varia circa medullaris substantiae fabricam, illam etiam, quae oculis subjicitur ab Anatomicis disputantur (*a*). Alii namque cellulosam medullam esse, spongiosam alii, alii vesicularem, et inflatae telae cellulosae similem esse scripserunt, ac denique Misticellii opinio fuit nihil nisi confusum quid, ac inorganicum cerebrum, ejusque medullam componere. Contra vero alii haudquaquam hypothesibus, sed institutis sedulo, iteratisque observationibus inhaerentes, quos inter celeber. Morgagnius, fibrosam medullam esse tradiderunt. Sic autem ad hanc rem scribit Hallerus (*b*): „ Id ubique repe- „ rimus amare medullam in lineas re- „ ctas, lacertulosque comprimi, et figu- „ rari, in cruribus cerebri, et ponte „ Varolii, et corpore calloso apprime

(*a*) Non enim loquor de elementari structura.

(*b*) Ibidem pag. 139.

38

„ conspicuos , unde in medulla rudior
 „ aliqua fibrarum similitudo nascitur „.

Et paulo infra: „ Sed etiam in con-
 „ gelato cerebro aquam in strias longas
 „ per medullam dispositam vidi, quae
 „ similes adeo medullae striae distin-
 „ gueret „.

Ego vero in conglaciato hominis , ac
 brutorum cerebro non hasce modo me-
 dullae striae, sed plura insuper medul-
 laria strata perspicere solitus sum, quae
 eodem prorsus modo disponuntur , quo
 descriptas alibi (a) glaciei laminas intra
 medullarem cerebri substantiam se ha-
 bere observavimus .

*HUMORIS, QUO RIMAE CEREBRI SCATENT
 USUS .*

§. XXVII.

Praestat modo , quemadmodum an-
 tea pollicitus fui (b), ut quid mihi de
 seroso , sive lymphatico humore intra eas
 rimas contento videatur proponam : id

(a) Vid. §. vi.

(b) Vid. §. xvi.

autem quo facilius accipi possit, prius quid hoc, quo scribimus tempore de cerebro certo sciant Anatomici paucis est verbis indicandum. Cerebrum igitur decentibus ad unum omnibus ex dupli componitur substantia, *corticali* altera, altera *medullari*. Harum unaquaeque in varias iterum partes secedit, quae prout figura, magnitudine, colore, positu inter se differunt, variis etiam nominibus ab Anatomicis distinguuntur; de quibus tamen non alia hic a nobis verba fient (ingens quippe est Virorum clar. numerus, qui de cerebri anatome scripserunt) ne „post Homerum, quod ajunt Iliam, dem scribere videamus” . Sive autem corticalis tantummodo, sive etiam medullaris substantia tubulosa sit, qua de re inter Anatomicos tum veteres, tum recentiores minime convenit, in eo (quod ad rem nostram attinet) omnes consentiunt, ut praeter ventriculorum, ac septi lucidi caveas (*a*), ne vel mini-

(*a*) Huc non refero *cavernulas*, quas nonnunquam in hominum capitis morbo extictorum cerebro clari Viri invenerunt.

40

mo interjecto spatio corticalem, ac medullarem substantiam naturaliter interruptam describant. Haec est hodie de structura cerebri Anatomicorum doctrina, a qua me paululum recedere repetitae saepius in conglaciato cerebro observationes compellunt.

§. XXVIII.

Ex allatis itaque observationibus ostensum est intra corticalem, ac medullarem cerebri substantiam in iis, quae toties commemoratae sunt *rimis* ubique glaciei laminas (*a*) inveniri. Dictum est itidem serosum, sive lymphaticum humorem ex quo istae laminae componuntur haudquaquam omnem post mortem aut alio quovis cerebri vitio exori, iis praesertim rationibus innixi, quod neque ab integerrimis brutorum recens mactatorum cerebris glaciei laminae defuerint (*b*). Cave tamen credas hasce rimas istiusmodi humore dum homo vivit, et sanus est exacte repleri, quas,

(*a*) Vid. §. xv.

(*b*) Ibidem.

praeter humoris, quem continent utilitatem non absque peculiari aliqua intentione natura in cerebro collocaverit. Sed inquiet fortasse aliquis; qui fieri potest, ut intra corticalem, ac medullarem cerebri substantiam *rimae* naturaliter occurrant, quarum ne vestigium quidem appareret antequam cerebrum frigoris vim senserit? Nonne eae frigoris actione produci possunt in cerebro eadem ratione, qua in informi luti massa hiemali frigore indurata elegantes saepe glaciei laminae observantur? Jamvero interstitia, seu *rimae* humorem, de quo loquimur, comprehendentes posse in cerebro licet non appareant existere, quisquis serosi laticis non minus, quam molissimam corticis naturam, medullaeque noverit, facile quoque intelliget. Quod autem *rimae* istiusmodi haudquaquam fortuito efformentur, suadere videtur ordo, quo eae intra corticalem, ac medullarem substantiam disponuntur. Quarum quidem *rimarum*, si licet abdita summi rerum Opificis consilia divinari

f

42

utilitas tanta est, ut non ad ea modo,
quibus nobilissima pars cerebrum dica-
tum est munera obeunda, sed ad ejus-
dem quoque morbos praecavendos con-
ferre quammaxime videatur. Sed ut
haec magis, magisque pateant est hic
nobis in vivi cerebri phoenomenis tan-
tisper inhaerendum.

§. XXIX.

„ In homine, cui cranium molle est,
„ inquit magnus Hallerus (a), ut in
„ infante, tum in homine, et animale,
„ cui aliqua pars de osseo cranio subla-
„ ta fuit, manifesto apparet singula in
„ expiratione cerebrum mole vere augeri
„ et distendi, et assurgere, deque dura
„ matre laesa, aut cranio effracto pro-
„ minere, et digitum impositum repel-
„ lere, et sanguinem super cerebrum
„ effusum expelli contraria per
„ inspirationem funt. Cerebrum, et ce-
„ rebellum mole minuitur, hinc subsi-
„ det, descendit Hujusmodi mo-
„ tus cerebri dudum innotuit „.

(a) Ibidem pag. 38.

Et paulo infra: „ Cerebri arterias (*a*)
 „ perinde, ut in reliquo corpore huma-
 „ no alternis salire vicibus, perque piam,
 „ perque duram membranam modo di-
 „ latari, et modo vicissim subsidere ve-
 „ tustas ipsa vidit, resque facilis est ob-
 „ servatu. Is motus a vivis animalibus
 „ vix abest unquam, quorum crania
 „ aperiuntur, inque pueris, quorum fons
 „ pulsatilis solis membranis perficitur fa-
 „ cillime tangitur. Totum vero cere-
 „ brum ascendit, minus tamen magnam
 „ ad altitudinem, brevioribusque inter-
 „ vallis dum cor contractum pulsat ..

„ Utrumque tamen motum in ani-
 „ male conjungi certum est, cuius cere-
 „ brum nudaveris, et eodem tempore in
 „ eodem cerebro non raro apparere ..

§. XXX.

Hisce praejectis, humoris, qui intra
 corticalem, ac medullarem substantiam
 non minus, quam illius, qui sub cere-
 bri meningibus locatur utilitas statim in-

(*a*) Ibidem pag. 41.

notescit. Jugis enim, atque alterna haec cerebri dilatatio, quae partim ex venarum sanguine retrogrado, partim vero a crebrioribus arteriosi cruoris circuitibus petenda est, fieri profecto nequit, quin tunicae cerebrum obvolventes invicem apprimantur, vasaque, tum quae in eorumdem plicis locata sunt, tum quae corticalem minutissimi retis instar componunt, quaeque non raro etiam intra medullarem substantiam se demergunt, illa quidem cum meningibus, haec vero inter se, et cum medullae fibris atterantur. Ut igitur harum partium affrictus imminuatur, interposito hujusmodi humore, quo eae flexiles serventur caustum esse quisque videt: pariterque (a) quum impedimento sit, quomodo medullae fibrae exarescant, ac coalescant, ne eorum quoque actiones ma-

(a) Nec diversa admodum fortasse Lystero mens erat, quum in libro *De humoribus*, et in variis exercitationibus scripsit: » Cerebrum unice humor rem lubricantem secernere, qui fibras molles conservaret ».

ximo cum vitae discriminē vitientur,
opportune defendit.

PECULIARIS RIMARUM CEREBRI UTILITAS.

§. XXXI.

Sed ut ad peculiarem *rimarum* utilitatem, quae intra corticalem, ac medullarem cerebri substantiam locatae sunt, redeam, antequam hac de re quidquam proferre audeam, nonnulla ex magno Tissoto desumpta praemittere peropportunum duco. Ait itaque perill. Vir in ea *Epist. medic. var. argum.*, in qua agitur de *apoplexia* (a):

„ Plures sunt causae cur cerebrum „ facilius sanguine farciatur; praecipuas „ recensebo „:

„ I. Nulla pars datur aequalis volu- „ minis, ad quam tanta affluat sangu- „ nis copia; sextam enim ad minimum „ totius sanguinis partem accipit, immo „ tertiam si Malpighio fides „.

„ II. Nulla ad quam tanto profluat „ impetu e robustissimo cordis ventricu-

(a) Pag. 54. et seq.

46

„ lo , impetu non fracto curvatura aor-
 „ taé , quae remoram affert majorem ,
 „ quam flexiones carotidis , et verte-
 „ bralis „ .

„ III. Graviores , et volatiliores san-
 „ guinis partes ad cerebrum necessaria
 „ determinantur mechanica (a) inde fa-
 „ cilis rarefactio , et vasorum laesio „ .

„ IV. Nihil remorantur externa ob-
 „ stacula impetum sanguinis ; nam be-
 „ ne tecta fortissima vasa cerebrum
 „ adeunt. Nullum ob osseam pyxidem ,
 „ aut parvum saltem refrigerium , quod
 „ tam belle vim humorum retundit „ .

„ V. Tot dantur anastomoses , ut
 „ ex obstructione alicujus vasis afferentis
 „ nihil minuatur sanguinis quantitas „ .

„ VI. Vasa calvariam ingressa tot
 „ gyris in cerebro reptant , ut ex len-
 „ tissima circulatione facilis sit ad sta-
 „ gnationem lapsus „ .

(a) Hanc , quae gravissimorum Physiologorum sen-
 tentia est , nonnulla sunt , ut alibi forte referam ,
 quae stricto adeo sensu sumendam esse non sinunt.

„ VII. Nullum e musculis redditui
„ auxilium „.

„ VIII. Remorae e contra innume-
„ rae ex minimis faucium, et pulmonum
„ aegritudinibus. Quoties enim, et id
„ probe notandum, augetur quantitas
„ sanguinis in pulmone, et innumeris
„ augeri potest causis, toties difficilior
„ redditus e cerebro „.

§. XXXII.

Apparet igitur quam facile vasa ce-
rebri prae caeteris sanguine turgeant,
ac distendantur, ac proinde quam levi
de causa ob osseam praesertim cranii
compagem cedere, ac flecti nesciam in-
tima quoque cerebri substantia compri-
matur. „ Sed cum docuerint fidae ex-
„ perientiae (*a*) encephalo compresso ubi-
„ cumque id fiat, partem aliquam mo-
„ tu, sensuque privari eam nimirum,
„ quae nervos habet a compressa par-
„ te; cur quaeso hujusmodi morbos
„ affectus, qui tamen saepe adeo vitam

(*a*) Ill. Tissot ibid. pag. 56.

„ minantur humanam (*a*) „ frequentius in dies non contingunt? Mirandum sapientissimi divini Conditoris artificium, quo crebris hisce *rimis* per encephali substantiam disseminatis (*b*), caustum est, ut vasa cerebri turgere, ac distendi queant, quin subito medullam compriment (*c*), et quod consequitur quin nervorum actio ferietur.

DE NONNULLIS CEREBRI MORBIS.

§. XXXIII.

Hactenus de structura cerebri; modo (quod rei caput est) utrum ex hac ipsa gravissimorum quorumdam cerebri morborum sedes, causaeque deduci queant, videndum. Evidem imperfectam admodum esse adhuc eam scientiae medicae partem, quae de sedibus, ac cau-

(*a*) Ibidem ill. Tissot.

(*b*) Cur rimae prope ventriculos grandiores sunt? an quia compressiones ibi periculosiores.

(*c*) Dum homo vivit, et sanus est hasce *rimas* ob jugem, atque perennem roris, quem continent inhalationem vasorum distensioni locum praebere, concipere facile est.

sis morborum cerebri agit; cum dissonantes inter se veterum, ac recentiorum sententiae hac de re arguunt, tum praesertim doctissimorum Virorum, quorum candorem, ac modestiam posteritas omnis mirabitur, Sydhenamii scilicet, ac Gaubii scripta palam faciunt. Ille enim ut referunt (*a*) interrogatus a quodam, quamobrem non de morbis capitis aequae ac de aliis, scripsisset; respondisse dicitur: *quoniam illos nondum intellexi.* Hic autem in aureae suae pathologiae (*b*) institutionibus sic loquitur:
 „ In tanta status sani ignoratione, de
 „ natura, ac sede vitiorum, quae hic
 „ (in cerebro) occurunt nihil admo-
 „ dum distincti pronunciare licet. Tan-
 „ tisper proinde in generali doctrina
 „ acquiescendum, donec physiologia te-
 „ nebras dispulerit „. Quid igitur ego
 illud exequi nunc contendam, cui sese
 impares hactenus Medici, atque Anato-
 mici ostenderunt? felix si in re adeo

(*a*) Haller. *De affectibus capit.* Proem.

(*b*) Gaub. pag. 210.

50

multiplici, et innumeris difficultatibus impedita utut verisimilitudinem attingere liceat: prius autem, quae de sedibus, ac causis morborum cerebri, de quib^{us} sermo erit praecipuae clar. hominum sententiae fuerint, indicabo.

*VARIÆ DE SEDIBUS, ET CAUSIS
APOPLEXIAE SEROSAE
CLAR. VIRORUM SENTENTIAE.*

§. XXXIV.

„ Quotquot jam ab aliquot saeculis, inquit Wepferus (a) morbos C. H. nobis scripto tradiderunt, plerique in „ apoplexia obstructionem ventriculorum cerebri a pituita crassa, et viscidâ prognatam causabantur „. Occasionem inter caetera huic opinioni dedisse videtur Galeni auctoritas, passim enim ventriculorum cerebri a frigido crasso humore opplerionem causam statuit; omnium autem clarissime lib. 3. de loc. affect. cap. 7.: „ Apoplexia propter subitam generationem indicat hu-

(a) Exercit. de loc. affect. in apoplex. pag. 20.

„ morem frigidum , aut crassum , aut
 „ viscidum confertim principes cerebri
 „ ventriculos impletent , non vero ab
 „ intemperie totius ejus substantiae fieri .
 „ Eviduit equidem (prosequitur Wepfer-
 rus (a)) „ hujusmodi sententia postquam
 „ in cerebri sectione Varoliana metho-
 „ dus adhiberi coepit , et jam pridem
 „ praeclarissimi medici Platerus , Bahvi-
 „ nus , Spigelius , aliquique , praestantes
 „ hos usus , scilicet spiritus animales gi-
 „ gnendi , vel alibi generatos in se re-
 „ cipiendi , et quaquaversum per nervos
 „ distribuendi , ventriculis denegarunt „ .

Hactenus Wepferus ; pauca haec ex
 Varolio : „ In ventriculis cerebri apople-
 „ cticorum , inquit ipse , non reperitur
 „ major excrementorum copia , quam
 „ communiter in omnibus aliis „ . Ex
 quibus intelligi satis potest , ut de plu-
 ribus aliis sileam jam a Wepferi
 temporibus , licet vix aliunde quam a
 sero crassiore ventriculos cerebri impe-

(a) Ibidem .

52

diente esse apoplexia videretur; fuisse tamen nonnullos, qui apoplexiā ab effuso in ventriculos seroso excremento perraro, ne dicam unquam fieri docerent (a).

§. XXXV.

Excussis Galeni, ejusque sectatorum placitis de ventriculorum cerebri usu, diversa inter se admodum de humore, qui in apoplecticorum cerebro inventus est dicta ad haec usque tempora Medicī, atque Anatomici prodiderunt. Sunt namque alii, qui satis uberem illius copiam saepe in ventriculis a se ipsis repertam describunt; alii, qui cum vix quidquam in hisce notatu dignum viderint, sub meningibus invenerunt, atque alii, qui intra corticalem, ac medullarem cerebri, ac cerebelli substantiam; nec defuerunt, qui serosi laticis collectionem universas quandoque encephali plagas inundantem se vidisse tradiderunt. Ut de copia ac sede, ita nec de

(a) Morgagni *De sedib. et caus. morbor. Epist. 2.*

humoris hujusce qualitatibus convenit
inter observatores, quum aliis colore,
sapore, ac cohaesione a reliquo huma-
no sero istud parum dissimile visum sit;
contra vero aliis gelatinosum, tenax, ac
glutinosum, colore varium, atque acer-
rimo quandoque praeditum sapore se
praebuerit; cujusmodi exempla, ut com-
plures alios tum veteres, tum recentio-
res doctissimos (*a*) Clinicae scriptores
omittam, innumera propemodum apud
Bonnetum (*b*), ac Wepferum (*c*), pree-
sertim vero apud Morgagnium (*d*), at-
que Lieutaudium (*e*) leguntur.

§. XXXVI.

Haec tam varia effecerunt, ut col-
lectiones hujusmodi, quae a plerisque
serosae apoplexiae causae credebantur,
ab aliis pro ejusdem effectibus haberent-

(*a*) Hic omittendi minime sunt ill. Viri Stor-
chius, ac Cothurnius, ad incrementa rei medicae
nati homines.

(*b*) *Sepulcret*.

(*c*) *Hist. apoplectic.*

(*d*) *De sedib. et caus.*, atq. alibi.

(*e*) *Hist. anatom. medic.*

54

tur, non vero pro causis, quemadmodum (ut alios brevitatis causa praeterream) videre est apud subtilissimum Sauvagesium (a), qui ita scriptum reliquit: „ Ex eo quod in cadavere sinus „ cerebri aqua turgidi reperiantur, non „ consequitur apoplexiam ab illo sero „ fuisse inductam „.

Invenire est etiam nonnullos, qui quum serum esse aliquando apoplexiae causam non negent, quandoque tamen illud pro effectu quoque recognoscunt, aut saltem quum adest haudquaquam ex eo semper apoplexiae causam deducunt. Quos inter eminet doctissimus italus noster Morgagnius, quem video varia variis in locis hac de re sentire, ut clarissimus ex iis, quae hic ex ejusdem operibus seligemus patebit. Et in adversariorum quidem sexto ubi agitur de hemiplexiae causa, et diagnosi sic mentem suam explicat (b): „ Saepe enim „ accedit, ut vel nihil, vel ferme nihil,

(a) Sauvages *Nosolog. method. de apoplexia*.

(b) *Animadver.* 83.

„ quod morbosum sit , vel seri dum-
 „ taxat copiam intra cranium invenia-
 „ mus , quod quidem serum non esse
 „ morbi causam , sed hanc potius con-
 „ sequi verisimile est ; quamquam ali-
 „ quando , vel quod acre sit , vel quod
 „ repente effundatur ipsa esse causa pos-
 „ sit (a) . . . Est denique magni Tissoti
 Commentator (b) , qui post tot doctissi-

(a) Laudat celeber. Morgagnius *De sedib. et caus. morborum variis in locis, ac praesertim in Epistola 4.* sic virum paeclariss. Trewium alloquitur: » Sed » tu fortasse cum iis facis , qui aquae effusionem » malunt nunquam apoplexiae causam esse , sed ef- » fectum ejusdem causae , quae apoplexiā facit , » ut puta sanguinis in vasis , quae in cerebro , et » circa cerebrum sunt retitantis . Quibus ego do- » ctissimis Viris hactenus in prima ad te epistola , » multoque etiam magis in adversariis (6. animad- » ver. 83.) assensus sum , ut tamen non plus de- » derim , quam quod aliis sapientissimis Viris satis » est , plerumque rem se habere ut illi consti- » tuunt » .

(b) Ecco le parole del signor Dottore Gandini nelle sue *Note agli Avvisi al popolo, del Tissot n.º 145.*: » Per quanto di studio io abbia posto (dice » egli) per rintracciare le vere cause di questa or- » ribile malattia , non ho trovato altro che occasio- » ni giustissime di dubitare , che di esse sieno sta-

56

morum hominum disquisitiones, se de rebus hisce nihil prorsus scire ingenue fatetur.

*DE SPASMODICIS, AC CONVULSIVIS
MORBIS.*

§. XXXVII.

Neque minor est Medicorum, tum veterum, tum recentiorum de reliquis cerebri morbis, ac praesertim de spasmodicis, ac convulsivis sic dictis dissensio. Quoniam autem illorum sententias expendere instituti ratio non sinit, pauca quaedam tantummodo ex neoreticorum scriptis tunc temporis desumpta affermus. Laudatus itaque Sauvagesius de cephalia serosa verba faciens, inquit (a):

» to al bujo i Padri nostri, e che più di loro lo siamo noi.... La definizione dell'apoplessia la fa distinguere da altri mali ad essa affini, non perché siamo più istruiti dell'essenza della malattia, che è ciò, che importa per ben curarla. Il sangue ed il siero, o linfa, che si trovano nel cranio de' morti d'apoplessia, sono per lo più, e forse sempre, prodotti dalla malattia, non già la malattia medesima, o le cause prossime, come me suol dirsi, di essa ».

(a) Ibidem.

„ Numerosae prostant observationes hu-
 „ jus speciei, quam tribuunt sero in di-
 „ versis partibus cerebri collecto: an ve-
 „ ro illud principium incusant, quia ca-
 „ daverum dissectio hoc serum adesse
 „ docuit? certe non valet consequentia „.

Immortalis autem Morgagnius in ea epistolarum, in qua agit de dolore capitis, habet sequentia: „ Quod si forte malis illud serum, quod inter meninges tenuem, et cerebrum fuit, in hujusque ventriculis non pro causa, sed pro causae effectu habere, ut in superiore explicatione indicatum est, non adversabor (a) „.

Nuperrime tandem doctus quidam anglus nomine Withers in libello (b), cui titulus est: *Osservazioni (c) su l'uso, abuso, trascuraggine de' rimedj*; in hoc ergo libello medicinam facientibus appri-

(a) Videndum est etiam ill. Swietenius in *Commentariis magni Boherahavii cap. De epilepsia*.

(b) Pag. 43.

(c) Italicam, quae sola apud me est Cerasolii versionem affero.

58

me necessario, sic loquitur Auctor de cerebri affectibus: „ Varie sono le affezioni del cervello, ritrovate per mezzo delle dissezioni de' cadaveri. Questi tali infelici effetti, come . . . le effusioni . . . sono state credute essere evidenti cause della malinconia e della pazzia. Queste istesse affezioni sono state capaci di produrre vertigini, dolori di capo, apoplessie, paralisi, epilepsie, stolidezze. Come queste tali cause apparentemente simili siano capaci d'effettuare una sì gran varietà di comparsa, è un problema, che per l'umana penetrazione fino ad ora è stato trovato troppo difficoltoso a sciogliersi „.

NOSTRA HAC DE RE CONJECTURA.

§. XXXVIII.

Hactenus clar. hominum sententiae, modo quae mea quoque de eorumdem morborum sedibus et causis opinio sit paucis verbis exponam. Humor, qui cerebri tunicas, intimamque ejusdem sub-

stantiam alluit, sive is ea qua dictum est copia in viventi, sanoque cerebro dominetur (*a*), sive is tenuissimus dumtaxat ros, sit levi de causa in ejusmodi laticem abiturus, quemadmodum summae, ut diximus, utilitatis est donec juxta naturalem constitutionem se habet (*b*), ita si ab ea recesserit complures sane noxas inferat necesse est. Praecipuae autem, quae in eodem induci possunt mutationes ad sequentes reducuntur: ad ejusdem nempe copiam, ac cohaerentiam auctas, vel imminutas, ad acritatem, quarum unaquaeque eos producere effectus potens est, qui gravissimorum inde morborum causae deveniunt. Quemadmodum enim cerebri inundatio, ac compressio, quae ab aucta hujusce seri copia proficiscitur comati, lethargo, apoplexiae, paralysi, aliisque cerebri morbis inducendis, ut mihi quidem videtur par est; ita medullae, ac nervorum irritatio, quae ab ejusdem

(*a*) Vid. §. xxviii.

(*b*) Ibidem.

seri acrimonia sequi necessario debet ad abditissimas convulsionum (*a*) epilepsiae, atque gravissimorum quorumdam capitum dolorum causas ex parte saltem aliqua intelligendas conferre suspicor vehementissime (*b*). Quid autem serosi laticis imminutio producere valeat, iis qui demortuorum quorumdam, ac praे-

(*a*) Martianus convulsivos motus omnes a stimulata facultate dependere jam olim suo modo explicavit.

(*b*) Pro varia humoris copia, et acrimonia, prout hae seorsim existunt, aut invicem junguntur, posse etiam hunc morbum in illum mutari, et vicissim, non admodum difficile est intellectu. Intelligitur etiam cur ex apoplexiis, quae a sero, sive a pituita sunt aliae semsim, aliae vero cito adveniant, et cum advenerint aliae citius, aliae vero tardius perimant, ut in acutis saepe morbis fieri videmus, quum scilicet morbosa materies, quae universum corpus, aut singularem ejus partem occupat ad cerebrum irruit: cumque semel id serum sub meninibus, aut intra cerebri substantiae *rimas* effusum aegre postmodum (quod facilius si intra vasa sive serosa, sive lymphatica haereret, fieri posset) quum, inquam, aegre id serum inhalantium vasorum radiibu absorberi, ac circulo committi queat, forte etiam intelligitur cur apoplexia serosa, sive pituitosa ut plurimum insanabilis sit.

sertim maniacorum stultorumque cerebrum se plus aequo induratum invenisse scripserunt conjiciendum relinqu: ego enim etsi ab hac quoque causa nonnullas cerebri affectiones pendere vix dubitem: attamen in re hac nihil adhuc certi proponere audeo.

§. XXXIX.

Haec quoad causas, ad sedem dictorum morborum quod attinet, paucis omnia complectar. Hanc non in ventriculis, aut sub meningibus modo, non in hac, vel illa plaga cerebri tantummodo, ut clar. Viris placuit (etsi in peculiari aliqua cerebri parte non raro praecipuam, sin unicam morbi sedem quaerendam esse ultro agnoscam), sed in universo cerebro, ac praesertim intra eas quas diximus corticalis, ac medullaris substantiae *rimas*, prout tamen fert morbi indoles, poni posse, non est cur dubitemus.

§. XL.

Hisce de sedibus, ac causis morborum cerebri (prout instituti ratio sinit) propositis antequam dicendi finem fa-

ciam, de nonnullis rebus, quarum aliae
aliter ab aliis intelliguntur quid tenen-
dum sit disquirere conabor, initio du-
cto, ut soleo ab apoplexia.

*DE ORIGINE CAVEARUM,
QUAE NONNUNQUAM
INTRÀ APOPLECTICORUM CEREBRI
SUBSTANTIAM OCCURRUNT.*

§. XLI.

„ Vetus utique siqua alia doctrina
„ est, inquit celeber. Morgagnius (a) a.
„ Varolio animadversa, a Martiano au-
„ tem, qui acrem, et rodentem mate-
„ riam pro apoplexiae causa agnoscebat
„ suo modo explicata, quae diserte pro-
„ posita est ab Hippocrate, aut certe
„ ab auctore libri de glandulis docente
„ *siquidem rodatur cerebrum . . . affec-
„ nem fieri, quae graece apoplexia voca-
„ tur.* Nunquam autem magis erosum
„ cerebrum videtur, quam cum in ejus
„ substantia, aut intra hanc magna
„ praeter naturam cava inveniuntur, cu-

(a) *De sedib. et caus. Epist. 3.*

„ jusmodi in hac muliere descripsi ple-
„ na sanguine, et foede adeo laceratis,
„ cruentisque parietibus, ut nihil magis
„ referant, quam ulcera profunde ero-
„ dentia: itaque et Valsalyam vides in
„ quatuor primis, quae superiore episto-
„ la productae sunt dissectionibus ero-
„ sionis, et corrosionis vocabulis usum
„ esse, ipsaque profundi ulceris similitu-
„ dine. Noli tamen credere ista fuisse
„ vera ulcera in plexu choroide, aut
„ huic proximis lateralium ventriculo-
„ rum faciebus sensim aucta, ut deni-
„ que ad magnitudinem tantam perve-
„ nirent. Ne enim hic quaeramus num
„ eae partes salva vita, et plerisque vi-
„ tae muniis ejusmodi morbos perferre
„ diutius possint; illud unum animad-
„ vertere satis est cum tot capita eorum
„ etiam, qui sunt ad apoplexiā san-
„ guineam ex eadem causa dispositi tam
„ saepe omnes dissecemus, nunquam ta-
„ men in istiusmodi ulcera in iis, quae
„ modo dictae sunt partibus inchoata,
„ et minora adhuc incidere; sed facta

„ et satis ampla tantum conspicere, in
 „ iis videlicet, quos ingens vis occidit
 „ ejusdem morbi. Nec tamen inficiar,
 „ immo ultro agnosco ab erodente etiam
 „ materie initium esse tantarum lacera-
 „ tionum: sed illud initium ajo, sive
 „ ab erosione, sive a distractione sit tu-
 „ nicarum unius, aut plurium vasculo-
 „ rum sanguinem per substantiam cere-
 „ bri convehentium, tam esse parvum,
 „ et obscurum solere, ut quamvis tam
 „ crebro tot cujusquemodi hominum ce-
 „ rebrum assulatim dissecuerim, necdum
 „ acciderit, ut sub meum aspectum ca-
 „ deret. Quid ergo est, inquis, cur
 „ tam cito tantam afferat cladem, et
 „ magna adeo cava efficiat? Dicam si
 „ prius unam tibi, aut alteram obser-
 „ vationem descripsero.

Ita autem post harum observatio-
 num descriptionem prosequitur ipse:...
 „ Sicui forte placeat cavernas, quas in-
 „ tra ipsam cerebri substantiam descripsi
 „ ad aneurismata, varicesque revocare,
 „ cavendum illi esse propter ea, quae

„ supra indicata sunt, ne cavernas ipsas
„ pro veri aneurismatis, varicisve cavo
„ accipiat in eam sensim amplitudinem
„ expanso. Multo satius est, et cum
„ tanta illa, quae vasis per cerebrum
„ reptantibus peculiaris est tunicarum
„ tenuitate congruentius, existimare ubi
„ ad modicam, et vix, aut ne vix qui-
„ dem in oculos incurrentem sensim,
„ aut cito, dilatationem pervenerint,
„ repente disrumpi, et pro varia vascu-
„ li diametro, et rupturae amplitudine,
„ et sanguinis copia, et impetu a tergo
„ usque, et usque urgentis, et cerebri
„ etiam laxitate paulo citius, tardiusve,
„ majores, minoresque cavernas fieri,
„ hasque pro minori, aut majori parie-
„ tum laceratione, aut pro varia lace-
„ rationis sede modo conclusas, modo
„ in ventriculos, aut extrorsum, per
„ cerebri videlicet superficiem, aut etiam
„ utroque patentes. Cedit enim mollis-
„ sima cerebri substantia, urgenteraque
„ sanguinem admittit: sic simul apople-
„ xia, et caverna fit, quae donec vis

i

„ cordis, et arteriarum non elanguescit
„ augetur porro, et cum ipsa augetur
„ apoplexia Caeterum quae de ca-
„ vernae productione ex effuso per dis-
„ ruptum a distensione vasculum scripsi,
„ ea facile intelligis locum habere si ex
„ eroso quoque vasculo sanguis profun-
„ datur Non me fugit Brunne-
„ rum ejusmodi, ut videtur ca-
„ vernam *ampli hiatus*, sive *fissurae no-*
„ *mine significantem*, subjicere: *alibi*
„ *arteriolas aegritudine*, sive *aneurismate*
„ *affectas se conspexisse*, quae tantam san-
„ guinis vim fudisse videbantur. Sed ea-
„ rum sedem, et aneurismatis diametrum
„ minime docet. Dilucidior est hac in
„ re Wepferus, cuius quoque in Sepul-
„ creto observationem habes, qui et *ca-*
„ *vitatem*, seu *antrum* describit, et licet
„ aneurismatis exemplo utatur, rem ta-
„ men ut video haud secus quam ego,
„ intelligit, nec verum aneurisma, sed
„ satis apposite spurium appellat „.

§. XLII.

Quot porro ingeniosa hujusmodi explicatio , sive a vasculorum disruptione , sive etiam ab eorumdem erosione cava cerebri fieri dicantur difficultatibus urgeatur non admodum difficile est intellectu , sensitque iste ipse vir omnium callidissimus , haec enim statim adjicit : „ Si aliorum judicio potius quam suo in „ istiusmodi explicationibus standum sit , „ te malim tanti Viri (scilicet Wep- „ feri) sequi judicium , quam meum „ .

Si quidquam autem iis , quae a doctissimis hisce Viris prolata sunt addere liceret , mea hac de re conjectura sic se haberet . Corticalis , ac medullaris cerebri substantia natura in rimas scinditur , quae ab exteriori cerebri ambitu profectae , sensim , ac sensim ad ventriculos usque protenduntur . Siqua harum , aut plures invicem communicantes humore , quo scatent , sero nempe , aut alieno , puta sanguine distendantur , anne possent in eam amplitudinem citius , tardiusque , prout sensim , aut statim liquor

effunditur dilatari, ut cavernas a clar. Viris, atque a me ipso in apoplectico- rum cerebro inventas referant (*a*)? Sa- pientiores judicent.

*QUID SENTIENDUM SIT, QUUM NIHIL
IN DISSECTO CEREBRO APPARET,
QUOD MORBI CAUSA FUISSE VIDEATUR.*

§. XLIII.

Aliud est in cerebro, quod ob rei medicae dignitatem accuratius expendi meretur. Nempe apud doctiores nonnullos, qui in humani cerebri dissectionibus sunt versati legisse memini non valde dissimilia hisce; quae ex praeclaro Viro Ballonio desumuntur: „ Scilicet „ post terrifica, gravissimaque ab affe- „ cto cerebro symptomata, magno me- „ dicorum dedecore, saepe capita homi- „ num morbo capitis consumptorum „ aperta esse, in quibus nihil commemo- „ rabile repertum est, quod mortem in-

(*a*) Vedit etiam doctissimus, atque amicissimus collega Petrus Antonius Gasparotti Philosoph. et Medic. Doctor, quocum saepe cerebrum prae reliquis H. C. partibus dissecui.

„ tentasset, quum alioquin medicus aut
 „ abscessum, aut simile quid repertum
 „ iri pronunciasset „.

Ill. autem Tissotus (*a*) quum nullam
 in cerebro virginis gravissimo capitatis
 morbo extinctae labem invenisset, in-
 quir: „ Quis generationem mortis in
 „ Haeniano, et hisce casibus exponet?
 „ anne ex solo spirituum defectu nasci-
 „ tur? anne mors ex paralysi, et
 „ convulsione cordis? Sic er-
 „ go credam donec boni meliora do-
 „ ceant (*b*) „.

§. XLIV.

In hisce casibus igitur, aliisque, quum
 videlicet nihil, aut ferme nihil, quod
 morbi causa fuisse videatur in dissecto
 cerebro apparet, valde probabile est
 nonraro hanc intra corticalis, ac medul-
 laris substantiae *rimas* latere (*c*). Quem-

(*a*) Dignus Vir, qui nunquam desituri monumentis commendetur.

(*b*) In ea *Epist. med.*, in qua agit de Apoplexia.

(*c*) Posse etiam aliquando in intima fibrarum
 medullarum structura morbi causam recondi ultro
 agnosco.

70

admodum enim istae intra cerebri substantiam naturaliter licet non appareant existunt, ita si humor, quo perfunduntur pravas qualitates, p[ro]ae caeteris acritatem induat, posse dictorum morborum (dummodo ejusdem copia non augeatur), absque eo quod vel minimum inquirentium oculis sese conspiciendum p[ro]aebeat causam fieri, non est cur dubitemus.

PAUCA QUAEDAM DE HORUM MORBORUM CURATIONE.

§. XLV.

Prout variae de morborum cerebri sedibus, et causis clar. Hominum sententiae sunt, ita de eorumdem curatione non minus inter se discrepant. Sed quoniam haec in praesens expendere non vacat, unum, aut alterum tantummodo de apoplexia, deque aliis morbis, qui a sero praecipuam, sin unicam eorumdem causam recognoscunt, adjicam. Quisquis igitur horum morborum curationem aggrediatur, tria haec sedulo perpendat;

an ab acri sero sint; an ab eodem solummodo in cerebro redundantem; an ab utrisque, animadvertis praeterea humorum hujusmodi haudquaquam in serosis, sive lymphaticis (*a*) cerebri vasculis, quae accurata nondum anatome confirmavit (*b*); sed extra illa, ac potissimum in iis, quae toties memoratae sunt corticalis, ac medullaris substantiae *rimis* haerere. Quoniam vero, ut eximii cuiusdam Viri (*c*) verbis utar: „Ea de- „mum solida est morborum cognitio, „quae quomodo in suis singuli deter- „minatis causis consistant, demon- „strat „; qui haec praecipue ante oculos habuerit, in eorum, quos hactenus commemoravimus cerebri morborum curatione, minus fortasse aberrabit. Sed de hisce jam satis, in re enim alta adhuc caligine obvoluta, si non verum;

(*a*) Potissima haec hodie est clar. Hominum doctrina, morbos, de quibus sermo habetur ab infarctu vasorum lymphaticorum cerebri pendere.

(*b*) Haller. ibid. pag. 121., 122.

(*c*) Gaub. ibid. pag. 55.

72

quod doctiorum medicorum scrutinio,
ac meditationibus detegendum relinquo:
utut semitam, qua illud si fieri potest
inveniatur, ex parte saltem aliqua in-
dicasse sat esto.

*DE TERTIA QUADAM CEREBRI
SUBSTANTIA.*

§. XLVI.

Neminem Anatomicorum mihi con-
tigit legisse, qui praeter corticalem,
medullaremque, alteram in cerebro es-
se docuerit, quam ego *tertiam* hujusce
visceris substantiam appellare consuesco.
Siquis nempe cerebri orizontaliter potis-
simum per strata dissecti corticem, ubi
medullae nectitur inspexerit, *subalbi-*
da (*a*) quaedam substantia lineae cujus-
dam instar se prodet, quae neque cor-
ticem ipsum, neque medullam prorsus
aemulatur. Haec tamen haud eodem
semper praecise loco sese ostendit, mo-

(*a*) Tab. II. *iiiiii*, Tab. III. fig. I. *hhhh* et
fig. II. *ddd*.

do enim medullae proximior, modo remotior apparet; nec eadem semper extensione, eodemque colore donatur, modo enim latior, atque obscurior est, modo angustior, ac paulo clarior existit, hic aegre, nullo illic modo (quod de subtilioribus particulis saepe fit) dispici quandoque potest; ut non in diversis modo cerebris, sed in diversis quoque ejusdem cerebri partibus eam aliquando variare (a) compererim (b). Saepe autem illud mihi inter observandum contigisse memini, quod licet in anterioribus cerebri vix, aut subobscure tantum cerni posset, quo ea tamen ad posteriora cerebri ferebatur, eo etiam magis, magisque adparere deprehendebatur. In interiori autem posteriorum lobarum cerebri parte, non longe ab

(a) Sectionis vitio, praesertim si obliqua instituatur, evanescit haec substantia,

(b) Duplicem quandoque etiam alicubi inveni hanc substantiam, quae binas lineolas (Vid. Tab. II. *ii*, et Tab. III. fig. I. *hhhhh*) referebat. Visum est etiam in ove, fele, lepore etc.

k

74

ea, quae tentoriis insidet est locus (atque id peculiariter adnotandum) in quo hance de qua loquor substantiam in albidiorem *lineolam* coactam nusquam non intra corticem (*a*) ipsum eleganter admodum incedere observavi (*b*). Caeterum cui bono hujusmodi substantia creata sit, cum tot aliis, quarum usus adhuc latet, ignorō: attamen si quis eorum qui pro spiritibus animalibus pugnant perpenderit, videri cerebri corticem in hanc, hanc autem in medullam mutari, fortasse ex hoc ipso aliquod argumentum (*c*) ducere posset pro eorumdem existentia, de qua, ut omni quidem tempore est disputatum, tum vel maxime, dum haec conscribo cum magno B. S. Albino clar. Viri dubitant (*d*).

(*a*) Tab. II. *1111* lineolam hanc vidi primum die 2 Februarii anno 1776.

(*b*) Hanc lineolam saepius persecutus, ad Hypocamporum usque substantiam intimam ferri visa est.

(*c*) Quemadmodum cerebri cortex, ita et haec nostra, ac medulla denique, si vere alia in aliam mutaretur tubulosae essent.

(*d*) Clar. L. M. A. Caldan. et cl. Azzogu. lib. cit.

Quod reliquum est hortor Anatomicos,
ut de hac substantia inquirant.

*DE NONNULLIS ANFRACTUUM CEREBRI
INCISURIS, SIVE SULCULIS.*

§. XLVII.

Traditur ab Anatomicis, et recte quidem traditur arterias corticalem cerebri substantiam daturas intra profundos intestinorum sulcos excurrere, venas autem ad eorumdem sulcorum superficiem sitas esse: sed video insuper venosos eos trunculos, qui per intestinorum superficiem repunt, intra *incisuras* (*a*) sive *sulculos* quosdam decurrere, quos ego quidem paratos esse existimo, non modo ut aptam vascula, qua locari possint sedem nanciscantur, verum etiam ne siquando plus aequo congesto sanguine turgeant, facile, ut aliter fieret retardari, aut in iisdem quandoque etiam subsistere queat. Hactenus de cerebro.

(*a*) Tab. IV. fig. I. c c c c.

*DE ADIPOSO QUODAM AORTAE SEMIANULO,
SIVE FIMBRIA.*

§. XLVIII.

In integerrimo rustici cuiusdam senis cadavere, qui postquam de altissimo curru ceciderit citissime interierat, cor, proximumque arteriae magnae segmentum undique propemodum pinguedine farta observavi, quemadmodum egregie a praestantissimis Viris notatum est. Haec tamen paulo duriuscula quae aortam convestiebat, etsi quo magis a corde recederet, eo etiam sensim decrescere videtur, attamen circiter a corde digitum hujusmodi pinguedo in crassiusculum corpus sive *fimbriam* assurgebat, quod subjectum arteriae limbum *semanulis* cuiusdam instar anterius circumcingebat (a). Hoc ipsum in quinquagenario viro, quem ocissime pulmonum inflammatio sustulerat ad eumdem plane modum inveni, nec in caeteris postmodum cadaveri-

(a) Tab. IV. fig. II. c.c.

bus (*a*) nisi tabe, macieque consumptis illud penitus desiderari conspexi. Quum in hisce autem omnibus sic locatum existeret, ut ab auricula superincumbente, quo praesertim tempore crurore distenditur comprimi (*b*) necessario debeat illud facile paratum fuisse crediderim, quod mutuum, atque immediatum harum partium sese perpetuo moventium contactum prohibendo aliquomodo, obliniendoque, affrictum minuat. Hic quoque nonnulla addere possem in iisque praesertim foramen satis amplum (*at semel tantummodo visum*), per quod ex maturi foetus pericardio, qua super aortam scandit (*c*) intra thoracis cavitatem liber patebat commeatus. Sed haec aliaque in aliud fortasse tempus rejicientur.

(*a*) Assurgit aliquando nonnihil, et pendulum, ac mobile extat.

(*b*) Tab. IV. fig. III. *ii.*

(*c*) A pericardii limbo, qui de subjecta arteria recedebat foramen, aut si mavis semiforamen istud effectum cernebatur.

*BINA AD POSTHUMAS J. D. SANTORINI
TABULAS SPECTANTIA.*

§. X L I X.

Infra superiorem epydidimidis globulum, corpusculum, sive *appendiculam* quamdam delineavit Santorinus, quam postea ill. Praeceptor posthumas tanti Anatomici tabulas explicans perdiligenter descriptis (a). Ego vero, licet unicum, ut habet ill. Praeceptor, qui partes hasee incredibili quadam patientia, observavit, hujusmodi corpusculum semper invenerim: duo tamen, et tria, atque haec semel tantummodo vidiisse recordor, quod caeteroquin contingere rarissimum est.

§. L.

Idem Vir summus in sua elaboratissima pharingis tabula, tenuem quemdam fibrarum fasciculum exhibit (b), qui per posticam pharingis faciem descen-

(a) Tab. XVI. fig. II. b.

(b) Ibidem fig. I. h.

dens, ac supra quosdam musculos (*a*)
ex apophysi styloide profectos scandens,
in digastrici tendinem, aut in maxilla-
rem glandulam inseritur. Hunc ego fi-
brarum fascem, quum paulo etiam ma-
nifestiorem, quam in Santorini tabula
occurrit (*b*) in lacertosi cujusdam senis
pharynge invenerim; cumque in alterius
etiam hominis pharynge protinus vide-
rim, incredibilem tanti Viri diligentiam
magis, magisque demiratus sum.

(*a*) Stylo-pharingei, stylo-glossi, stylo-joidaei.

(*b*) Vid. ill. Praecept. in Oration. de re Anatom.

not. (*i*) pag. 36., et seq.

T A B U L A R U M EXPLICATIO.

T A B U L A I.

*Nonnullas Encephali humani particulas exhibet;
ut glaciei Lineae, ac Lamellae, prout in eo-
dem gelu adstricte occurrunt, ostendantur.*

FIG. I.

*Portio est lobi dexteri anterioris pia matre
denudati.*

A A A Superficies corticis.
a a a a &c. Lineae, quae in corticis superficie oc-
currunt.

B B B Sulci, sive gyri, qui in hac portiuncu-
la conspiciuntur.

FIG. II.

*Sinistri hemisphaerii digitum circiter a ventri-
culo juxta finitorem dissecti portionem re-
praesentat.*

A A A Cortalis substantia, ac
B B Medullaris, creberrimis
a a a a a &c. Striis, sive Lamellis notatae.

FIG. III.

*Dextero Cerebri hemisphaerio horizontaliter dis-
secto donec lateralis ventriculi basis ex parte
appareat, statim conspiciendae veniunt.*

- a a a a a &c. L*amellae in
- A A A A A* Corticali, ac
- B B B* Medullari substantia, inque
- C* Striato corpore occurrentes.
- D* Glaciei pars, quae ventriculum occupat
in parvula frustilla hic illic discreta.

FIG. IV.

*Demonstrat Cerebelli portionem perpendiculariter
sectam.*

- a a a a a &c. L*ineolae, seu initia *Lamellarum* tum
intra
- A A A* Corticalem, tum etiam intra
- B* Medullarem substantiam occurrentium.
- b b* Sulculi corticalis substantiae

T A B U L A II.

Cerebrum humanum repraesentat sua in sede constitutum a quo prima superiora strata ablatæ sunt, ut Tertia, sive Nova ejusdem substantia, ostendatur.

<i>A A</i>	H emisphaeria bina
<i>B B</i>	Eorum divisio.
<i>C C</i>	Lobi anteriores bini.
<i>D D</i>	Posteriores totidem.
<i>E</i>	Tentorium.
<i>F F</i>	Substantia medullaris:
<i>G G</i>	Corticalis substantia.
<i>h h h</i>	Ejusdem divisio.
<i>iiii i</i>	<i>Tertia</i> , sive <i>Nova cerebri substantia</i> , quae describitur §. <i>XLVI.</i> , quae in anteriori sinistro lobo
* <i>i i*</i>	<i>Duplex</i> apparet.
<i>lll</i>	Eadem substantia, quae prope tentorium semper in <i>Albidorem Lineolam</i> coacta intra corticem ipsum elegantior occurrit.

*T A B U L A III.***FIG. I.**

*Cerebrum bubulum exhibet eadem ratione, atque
humanum (Vid. Tab. II.) dissecatum, ut
Tertia, sive Nova substantia hic quoque ostendatur.*

<i>A A</i>	B ina hemisphaeria.
<i>B B</i>	Eorum divisio.
<i>C C</i>	Lobi anteriores bini.
<i>D D</i>	Posteriores totidem.
<i>e e e e</i>	Substantia medullaris.
<i>fffff</i>	Corticalis substantia.
<i>h h h h &c.</i>	Tertia, sive Nova cerebri substantia, quae in anteriori dextero lobo
<i>*h h*, *h h h h*</i>	<i>Duplex</i> appetet.

FIG. II.

*Portio anterior hemisphaerii dexter canis (vulgo
barbone), quae tertiam circiter partem dicti
hemisphaerii constituit, eadem ratione atque
in bubulo cerebro dissecata.*

<i>A A</i>	S ubstantia medullaris,
<i>B B</i>	Corticalis, ac
<i>C</i>	Eiusdem divisio.
<i>d d d</i>	Tertia, sive Nova cerebri substantia.
<i>E</i>	Portio corticis pia matre obducti.

T A B U L A I V.

FIG. I.

*Cerebri pia matre denudati portiunculam exhibet,
ut Sulci, sive Impressiones in intestinulorum
superficie occurrentes ostendantur.*

- A A* **I**ntestinula cerebri.
- B B B* **G**iri, sive anfractus cerebri.
- c c c c c* **S**ulci, sive *Incisurae*, in quibus sanguife-
ra vascula decurrunt.

FIG. II.

*Eam aortae partem, quae intra pericardium con-
tinetur resectam exhibet.*

- A* **P**ars, quae a corde exit.
- B* Pars quae egreditur e pericordio.
- c c* **S**emianulus, sive *Fimbria* substantiae adi-
posae.


FIG. III.

*Cor, proximumque arteriae magnae segmentum,
cujus dimidiam circiter partem obtagit auricu-
la dextera, quae ad Semianulum usque adi-
posum pertingit, demonstrat.*

- A* **B**asis cordis.
- B* Ejusdem apex.
- C* Auricula dextera.

86

- D* Sinistram portio.
E Arteria pulmonalis.
F Aorta ubi e pericardio exit resecta
G Aortae lumen.
H Una ex adiposis appendiculis, quae ad
basim cordis solent occurtere
ii *Semianulus*, sive *Fimbria* substantiae adi-
posae, quae describitur §. XLVIII.
lll &c. Venulae, quae per superficiem cordis
excurrunt.



DE PECULIARI
STRUCTURA CEREBRI ETC.

I N D E X .

	Pag.
<i>O</i> bservationes in cerebro conglaciato .	1
<i>Serum universas Encephali particulas alluere conji-</i> <i>citur .</i>	16
<i>De tunicae arachnoideae usu .</i>	20
<i>Varia de ventriculis cerebri cl. Virorum sententiae .</i>	25
<i>De substantia corticis , quae in Albinianis injectio-</i> <i>nibus non impletur .</i>	30
<i>De medullaris substantiae fabrica .</i>	37
<i>Humoris , quo Rima cerebri scatent usus .</i>	38
<i>Peculiaris Rimarum cerebri utilitas .</i>	45
<i>De nonnullis cerebri morbis .</i>	48
<i>Variae de sedibus , et causis apoplexiae serosae</i> <i>clar. Virorum sententiae .</i>	50
<i>De spasmodicis , ac convulsivis morbis .</i>	56
<i>Nostra hac de re conjectura .</i>	58
<i>De origine cavearum , quae nonnunquam intra apo-</i> <i>plecticorum cerebri substantiam occurunt .</i>	62
<i>Quid sentiendum sit , quum nihil in dissecto cere-</i> <i>bro appareret , quod morbi causa fuisse videatur .</i>	68
<i>Pauca quaedam de horum morborum curatione .</i>	70
<i>De Tertia , sive Nova quadam cerebri substantia .</i>	72
<i>De nonnullis anfractuum cerebri Incisuris , sive Sulculis .</i>	75
<i>De adiposo quodam aortae Semianulo , sive Fimbria .</i>	76
<i>Bina ad posthumas J. D. Santorini Tabulas spe-</i> <i>ctantia .</i>	78

Fig. I.




Fig. II.



Fig. III.




Fig. IV.



F.M.P.
BIBLIOTHECA
SOCIETATIS MEDICO-PHYSICALIS
ACAD. IMPER. PETROPOLITANAE




Fig. I.




Fig. II



Tab. IV.

Fig. I.




Fig. II.




Fig. III.

